MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80664-8

AUTHOR:

SCHVLTZ, GVALTERVS

TITLE:

DE PRISCIANI LOCIS PLAVTINIS

PLACE:

IENAE

DATE:

1910

Master Negative #

92-80664-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B37375         Acquisitions     NYCG-PT
FIN ID NYCG92-B37375 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B37375          RTYP:a    ST:s   FRN:   MS:   EL:      AD:06-05-92
  CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?   MOD:    SNR:      ATC:      UD:06-05-92
  CP:sw      L:lat     INT:?   GPC:?   BIO:?   FIC:?     CON:???
  PC:s      PD:1910/           REP:?   CPI:?   FSI:?     ILC:????   II:?
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:        COL:      EML:       GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 1    Schvltze, Gvaltervs.
  245 10   De prisciani locis Plavtinis‡h[microform].‡bDissertatio philologica qv
        am scripsit...‡cGvaltervs Schvltze.
  260      Ienae,‡bTypis G. Nevenhahni,‡c1910.
  300      58 p.
  LDG      ORIG
  QD       06-05-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 8-7-92 INITIALS AT

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 2

DE
PRISCIANI LOCIS PLAVTINIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVALTERVS SCHVLTZE
LVDOVICIHOFENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 17. Dezember 1909.

Professor Dr. V. Michels,
d. Zt. Dekan.

Praefatio.

§ 1. Cum ad scriptorum antiquorum lectiones confirmandas vel emendandas multum valere testimonia a grammaticis allata iamdudum intellectum sit, homines docti illustrissimorum poetarum memoriam a grammaticis servatam non sine fructu perscrutati sunt. Ut alios omittam, eos hic afferam, qui ab operibus grammaticorum profecti de genuina fabularum Plautinarum forma recuperanda plus minusve meriti sunt, velut Eduardus Leidolph libellum „De Festi et Pauli locis Plautinis" inscriptum [1]) composuit; primaria tantum exempla complexus est Maximilianus Hennig „De Nonii Marcelli locis Plautinis" [2]); omnia quae exstarent apud Nonium testimonia quanti ad crisin Plautinam momenti essent, Carolus Reblin „De Nonii Marcelli locis Plautinis" [3]) et Hermannus Caesar „De Plauti memoria apud Nonium servata" [4]) diligentissime tractaverunt.

Sed praeter Nonium Marcellum longe uberrimam atque pretiosissimam copiam non minus fragmentorum vetustissimorum auctorum quam praeceptorum veterum grammaticorum nobis praebet Priscianus Caesariensis, qui fine saeculi quinti et sexti saeculi initio doctor artis grammaticae in urbe Roma Constantinopoli exstitit [5]). Qua de causa semper et semper adeundus est iis, qui bonis litteris et studio antiquitatis imbui cupiunt.

---

1) Commentationes Philol. Ienenses II pp. 197—252. Lips. 1883.
2) Regimonti 1884.
3) Gryphisvaldiae 1886.
4) Argentorati 1886.
5) Cf. M. Hertz praefat. ad Prisc. in Gram. Lat. ed. Keil. II p. VII; W. S. Teuffel, histor. litter. Roman. 1890, vol. II, p. 1242 sq. Cf. etiam L. Ieep, Zur Geschichte der Lehre von den Redeteilen bei den Lateinischen Grammatikern, p. 89 sqq.

Cuius opera si quis vel obiter tetigerit, eum non fugiet permultis locis Plautinis scatere; quorum exemplorum pars maior in institutionum grammaticarum libris XVIII [1]) invenitur, perpauca in libello de metris Terentii conscripto [2]) exstant. Quae testimonia quantum ad Plautinarum fabularum libros manuscriptos recensendos valeant cum adhuc, quantum scio, nemo peculiari opera inquisiverit, equidem hac dissertatione demonstrare conabor, quae ratio inter locos a Prisciano allatos et lectiones codicum Plautinorum intercedat. Priusquam vero ad ipsam rem nobis propositam accedamus, fundamentum exstruendum videtur esse, ex quo rectius diiudicemus, quantum Plauti exempla apud Priscianum servata valeant. Plurimum enim nostra interest cognoscere, cuius aetatis speciem Plautinae memoriae hic grammaticus nobis tradat, nimirum utrum ipse Priscianus illos locos ex manuscripto libro fabularum quodam exscripserit an alius quidam artis grammaticae auctor, qui duobus vel tribus saeculis ante Priscianum fuerit.

Aptissime igitur disputationem ita instituere mihi videor, ut totam materiam in duas partes dividam, quarum priore de origine Plauti memoriae a Prisciano traditae universe agatur, altera, quae ratio inter codices Plautinos et locos Priscianeos intercedat, explicetur.

PARS PRIOR.

Unde originem ducant Prisciani loci Plautini quaeritur.

§ 2. Priscianus Caesariensis quin simili modo quo alii grammatici illius aetatis partes quasdam operum aliorum grammaticorum et Graecorum et Latinorum in suum usum converterit atque compilaverit non esse cur dubitemus inter omnes constat. Ex Latinis vero nullius copiis eum saepius et uberius usum

1) G. L. K. II—III p. 377.

2) G. L. K. III pp. 418—429.

esse quam Capri post Osannum [1]), Kirchnerum [2]), alios imprimis Hermannus Neumann [3]) et Godofredus Keil [4]) docte atque perspicue explanaverunt [5]). Cum vero et Neumann et Keil praecipue in quaestionibus ad universas res grammaticas pertinentibus versentur, non multum suppeditant nobis pervestigantibus, unde Priscianus petiverit exempla Plautina. Quodsi hanc nostram quaestionem interdum leviter tangunt, nihil tamen nisi coniecturam fecerunt, nimirum omnia, quae bonam et antiquam doctrinam sapiant, ad Caprum vel eius auctores grammaticos referenda esse [6]), sicut iam antea Kirchner [7])

1) Fridericus Osann, De Flavio Capro et Agroecio grammaticis, Gissae 1848.

2) Ioannes Kirchner, De Servii auctoribus grammaticis, quos ipse laudavit, in Fleckeiseni annal. octavo supplemento. Lipsiae 1875/1876, p. 515 sq.

3) Neumann, De Plinii dubii sermonis libris Charisii et Prisciani fontibus. Kiliae 1881.

4) G. Keil, De Flavio Capro grammatico quaestionum capita II. Halis 1889. — Ad adnott. 3) et 4) cf. etiam Georgium Goetz in Burs. annal. alt. part. 1891 p. 139 sqq.

5) O. Wischnewskii dissertationem, De Prisciani institutionum grammaticarum compositione, Berol. 1909 post hanc disquisitionem finitam demum cognovi.

6) G. Keil l. l. p. 39: „Inter omnes vero Priscianus uberrimam regularum copiam et maximam exemplorum silvam ex antiquis grammaticis collegit.“ ..... „Ubi ergo antiquae doctrinae et exemplorum ex vetustissimis auctoribus petitorum copiae apud Priscianum — atque id pertinet etiam ad alios grammaticos — exstant vel analogiae magnum pondus tribuitur, de Capro cogitari potest, eodem autem iure de Plinio vel Probo.“ Ibidem p. 42: „Haud scio an etiam ea, quae de superlativis 'extimus' 'citimus' 'ultimus' etc. proferuntur p. 98, 4 sqq. et 100, 15 sqq. Capro debeantur, praesertim cum exempla omnia ex auctoribus satis antiquis petita sint, Varrone, Caelio, Sallustio, Plauto.“ Ibidem p. 44: „quod magna copia veterum exemplorum invenitur, magnam libri partem ei (scil. Capro) vindicandam esse persuasum habeo.“ .... „Itaque si verum est, quod supra dixi, exemplorum ac testimoniorum magnum numerum e Capri libris petitum esse, per se verisimile est“ eqs.

7) L. l. p. 516: „Itaque non modo iis Prisciani locis, quibus diserta Capri mentio fit, lectionis antiquae exempla Capro adscribenda esse Christio (scil. Philol. t. XVIII p. 167) assentior, verum etiam omnes locos, ubi melioris doctrinae atque lectionis antiquae copiae amplae habentur, Capro tribuerim.“

et alii iudicaverant. Quam eandem sententiam Hermannus Karbaum[1]) quamquam profitetur, tamen concedit[2]) eam non semper satis validis argumentis fulciri. Quodsi dico illorum virorum persuasionem niti coniectura, minime in animo habeo negare illos viros doctos ex tanta silva locorum ex vetustissimis auctoribus petitorum iusto iure collegisse Priscianum ex fontibus optimae auctoritatis hortulos suos irrigavisse nec non magnam copiam veterum exemplorum ad usum dicendi illustrandum laudatorum in Capri libris invenisse: id tantum in dubium voco, num omnia illa testimonia Priscianus in fonte suo offenderit, nec minus, num eandem lectionem exemplorum, quam fons ei suppeditaverit, in opera sua transtulerit. Minime enim exploratum ac demonstratum est Priscianum nullo loco etiam ipsum antiquos auctores quosdam optimos inspexisse.

Quae cum ita sint, ut quaestionem nostram ad lucidum perducamus, mihi visum est fusius exponere, qua ratione Priscianus in auctoribus grammaticis excerpendis usus sit, nec cassum quicquam me acturum esse spero, si hunc laborem subibo. Quae tamen quam lubrica sit quaestio quantisque cum difficultatibus conflictandum sit ut intellegas, satis erit admonere, quem auctorem grammaticum a doctore Caesariensi praecipue excerptum esse comperimus, eius pretiosas copias ad nos non pervenisse, nisi duos illos libellos exiguos respicis de ortho-

1) Karbaum, De origine exemplorum, quae ex Ciceronis scriptis a Charisio, Diomede, Arusiano Messio, Prisciano Caesariensi, aliis grammaticis allata sunt, in programmate gymnasii Wernigerodensis 1889, p. 5: „Ac plerumque Priscianus exempla déprompsisse videtur ex Capro." Ibid. p. 6: „ut Priscianus — atque id pertinet etiam ad alios grammaticos — ex Capro non solum eas res grammaticas mutuatus est, quibus auctoris Capri nomen appositum est, sed etiam alia multa, quae prope eum locum exstant, ubi Caper laudatur, sic ad Caprum etiam ea exempla probabiliter redeunt, quae antecedunt et sequuntur eum locum, quo Capri auctoritatis mentio fit." Cf. etiam Georgium Goetz l. l. p. 156 sq.

2) Karbaum l. l. p. 11: „non equidem contendo certissimum et exploratum esse exempla apud recentiores ac praecipue apud Priscianum eis locis inventa, ubi manifestum est unum vel compluria exempla veteribus grammaticis desumpta esse, omnia ad illum fontem antiquum referenda esse, sed hoc unum contendo, id quodammodo esse probabile et verisimile."

graphia et de verbis dubiis sub Capri nomine traditos, quibus Flavianae doctrinae nucleum quendam inesse constat[1]).

Quibus in rebus investigandis cum haesitarem, maximo gaudio affectus sum, quod Ludovicus Ieep[2]) vir de grammaticis quaestionibus optime meritus, studiis meis subvenit, qui dedita opera non solum denuo in Prisciani fontes inquisivit aut diligenter locis auctorum percensitis sententiam a Neumanno et Keilio de Capro Prisciani fonte prolatam certioribus argumentis instruxit, sed etiam quaestionem instituit, qua cum fide Priscianus praecepta ex auctoribus grammaticis suis attulerit, nec non ingentem numerum locorum ex veteribus ac vetustissimis scriptoribus petitorum diligentissime studiosissimeque congessit, ut quam ducerent originem cognosceremus. Neque abs re videtur esse referre, quam viam Ieep hac in disputatione ingressus sit ac quem ad finem pervenerit, praesertim cum ille vir doctus id ipsum contendat et spectet, ut originem antiquarum lectionum a Prisciano traditarum eruat.

Primum quidem ille docet Priscianum ipsum excerpsisse eos auctores laudatos, qui Flavio Capro, quem altero saeculo exeunte florentem facit, ad manum fuisse non possunt, quoniam post eius tempora floruerunt; sunt autem hi: Marius Victorinus, Charisius, Diomedes, Donatus, Probus minor, Servius, Nonius Marcellus, Phocas, quorum libri ad nos pervenerunt. Quibus asserit eos grammaticos excerptos, quorum opera aetatem non tulerunt, scilicet: Grillium, Eutropium, Asmonium, Donatianum, Papirianum, Theoctistum, Prisciani praeceptorem. Deinde examinat singulos locos ex auctoribus allatos ipsis fontibus in testimonium vocatis, unde apparere ait, Priscianum alteram partem diligenter exscripsisse, alteram socorditer vel etiam insulsissime atque indoctissime. Praeterea locos ex fontium quibusdam paginis arte cohaerentibus desumptos esse, qua e

1) Cf. Henricum Heil G.L.K. VII p. 90; Godofredum Keil l. l. p. 8. Cf. etiam Georgium Goetz l. l. p. 139.

2) L. Ieep, Priscianus. Beiträge zur Ueberlieferungsgeschichte der Römischen Literatur, I in Philologo 67 (N.F. 21) 1908 pp. 11—51; II in Philologo 68 (N.F. 22) 1909 pp. 1—51. Cf. etiam Paulum Wessner in Bursiani annal. vol. 89 (1908 II) p. 129 sqq. et p. 206 sq.

ratione excerpendi satis clare elucere eum parum prudenter aut cum ratione egisse. Quibus rebus commotus Ieep eo adducitur, ut grammaticum illum acerbissimis verbis increpet, cuius operam adeo misellam atque stultam esse, ut necesse sit cognoscamus — ipsius verbis utar[1] —: „aus Priscians eignem Wissen und Können auf dem Gebiete des Lateinischen kann auch nicht eines jener wertvollen Citate seiner Sammlung zugeflossen sein."

Quam opinionem ut fulciat, Ieep praecepta a Prisciano prolata eorum auctorum percenset, quos per Caprum ad eum permanasse verisimile est, utpote qui ante Capri tempora floruerint, ostenditque nobis Priscianum ex iis scriptoribus, qui post Flavianam aetatem fuerunt, itaque a grammatico illo praeclarissimo ad partes vocati esse non possunt, tam pauca quam minime pretiosa testimonia sumpsisse. Caprum igitur esse eum, cui ille thesaurus exemplorum debeatur, ibidemque doctrinam deficere Priscianum, ubi fons, scilicet Caper, exarescat.

Tum nos contemplari atque inspicere iubet Ieep illa exempla laudata secundum singula genera orationis et vinctae et solutae atque revocat nos ad consilium et rationem bene consideratam, qua illa collectio quamvis manca, tamen praeclarissima instituta sit. Quoniam autem Priscianum indocilem atque inertem fuisse sibi persuasit, eum talis conquisitionis auctorem fuisse putare nequit, immo ad Caprum excellentissimum illum investigatorem antiquitatis nos relegari, qua in sententia eo confirmemur, quod Priscianus ipse haud paucis locis nobis indicet, ubi praecepta usu et auctoritate veterum scriptorum demonstrentur, apud Caprum quoque illa exempla inveniri. Neque minus aptam ad hanc opinionem comprobandam videri aliam rem, de qua Neumann[2]) iam nos commonuit, nimirum apud Priscianum haud sane raro lemmata, quorum usus exemplis demonstretur, per litteras digesta esse, quem ordinem a Capro adhibitum et institutum esse constare.

1) Cf. Philol. 1908 p. 51.
2) Cf. Neumannum l. l. p. 50 et 51.

Denique censet Ieep, cum ad ea exempla, quae cum Capri auctoritate arte conectantur, ferme ad usum dicendi vetustissimorum vel antiquissimorum provocetur, non solum talia exempla Capri nomine omisso, sed etiam omnes locos ex illis vetustissimis scriptoribus petitos ad Caprum referendos esse, etsi nec Flavianae auctoritatis nec sermonis antiquissimorum mentio fiat.

§ 3. Hactenus Ieep, — nam quod ille in ultima parte disputationis de exemplorum serie quadam altera, quae illi ordini vetustissimorum opponitur, disserit, omittendum puto. Neque nemo non infitias ibit huiusce viri docti inquisitionibus laboriose institutis cum eos optime adiuvari, quicumque Prisciani studio dediti sunt, tum nos qui Prisciani rationem atque auctoritatem investigamus. Attamen a me impetrare non possum, ut Ieepio in universum astipuler, id quod pertinere velim cum ad alteram disputationis partem tum ad priorem. Neque quisquam non intelleget in ipsa priore parte cardinem rerum verti; nam ad quaestionem de origine Plauti exemplorum persolvendam summi momenti est diiudicare, num vere, sicut ille existimat, adeo ineptus atque indoctus Priscianus fuerit.

Iam liceat mihi deinceps eas res afferre, de quibus quin a sententia Ieepii decedam facere non possum; qua in re hanc disputandi viam inire mihi placet, ut quaestiones instituam primum qua fide, deinde qua ratione in excerpendis auctoribus Priscianus usus sit, denique expediam, quae praeterea dicenda esse mihi videantur.

Primum igitur Ieep[1]) vitio tribuit Prisciano, quod dicit[2]) verbum „quatio quassi" teste Charisio in usu non esse; nam Charisium, ait Ieep, eo loco, ubi de perfectis tertii ordinis in „si" desinentibus agat[3]), nulla voce indicare verbum simplex „quatio, quassi" inusitatum esse. Sed iniuria Priscianum reprehendere videtur. Primum enim censeo tantam discrepantiam — nam testimonii a Prisciano allati, quod maiore verborum ambitu continetur, in fonte indicato invenitur nullum vestigium —

1) Cf. Ieepium l. l. in Philol. 1908 p. 24.
2) Cf. G.L.K. II 502, 6 sq.
3) Cf. G.L.K. I 246, 2.

non errore vel neglegentia grammatici ipsius ortam statui posse, sicut leviores lapsus calami vel oculorum, sed talem dissensionem potius ita explicandam esse, ut lacunam in auctore statuamus vel memoriam alterutrius accusemus. Quare per se non adeo male [1]) Fabricius [2]) in editione lectionem Charisianam corrigere conatus est, cum scribit: „quatio in usu non est, sed concutio et percutio tis cussi."

Sed hoc loco prorsus non opus est ad talem coniecturam confugere. Omnia enim optime sese habent, si statuimus, id quod per se satis sane probandum videtur, Priscianum ex ea serie Charisiana verborum, qualem libri nobis praebent nunc, conclusisse illum grammaticum praeteritum „quassi" a sermone latino alienum putavisse. Nam si quis intentius illos ordines verborum apud Charisium inspexerit, longe maiorem partem eorum verba simplicia esse inveniet. Pauca autem composita illo loco prolata sunt talia, quorum simplicia aut in usu non sunt, nimirum „alliceo" [3]), „pelliceo" [4]), „exuo" [5]), „incumbo" [6]), „praesagio" [7]), „insanio" [8]), aut praeterita perfecta non proferunt, scilicet „consuo" [9]), „adfligo" [10]), „aspicio" [11]), „evado" [12]). Quae reliqua composita in his ordinibus leguntur,

1) Cf. Ieep l. l. p. 24.
2) Cf. G. L. K. I 246, 1 appar. critic.
3) Cf. G. L. K. I 244, 17. Cf. tamen Festum Pauli p. 116, 15; 117, 9.
4) Cf. ibid. 244, 18.
5) Cf. ibid. 244, 27.
6) Cf. ibid. 244, 28.
7) Cf. ibid. 247, 1.
8) Cf. ibid. 247, 2.
9) Cf. ibid. 244, 29. Ni fallor, praeteritum in auctoribus nusquam invenitur; cf. Forcellinium s. v. „praeteritum 'sui' agnoscitur a Prisciano."
10) Cf. ibid. 245, 12.
11) Cf. G. L. K. I 245, 16. — De simplici verbo cf. Forcell. s. v. „specio et spicio verbum est rarissimi usus et apud veteres tantum." Cuius praeteritum protulisse Ennium testatur Varro L. L. VI 82; cf. et Festum Pauli p. 331, 11.
12) Cf. G. L. K. I 245, 21. — De simplici cf. Forcell. s. v. „praeteritum vasi est in compositis 'evasi, pervasi' et praeterea Tertull. Pall. 3a med. 'ea tempestate Osiridis qua ad illum ex Libya Hammon vasit'."

praeter simplicia eorum offendes, veluti „explico" praeter „plico" [1]), „promo" praeter „emo" [2]), „satago" praeter „ago" [3]), „transeo" praeter „eo" [4]), alia. Ceteroquin tria sunt composita „reperio", „operio", „aperio" [5]) quorum simplex non profertur; neque tamen mira haec res est, quoniam simplex verbum „pario" ad alium verborum ordinem pertinet atque eius composita neque secundum eandem legem praeteritum perfectum facit. Quae cum ita sint, suo iure Priscianus ex eo, quod Charisius [6]), ubi de variis formis perfectorum disserit, compositum „concutio, concutis, concussi" ponit, cum simplex verbum „quatio" silentio praetereat, videtur collegisse Charisium negavisse „quassi" usitatum esse; nam ad praeteritum „quassi" tantum illa Prisciani verba „quod teste Charisio in usu non est" referenda esse mihi quidem constat.

Sed dixerit quis falsam esse ratiocinationem nostram admonens unum compositum a Charisio memorari simplici verbo eius non allato, cui rei causas supra expositas non subessent, nimirum „diruo, dirui" [7]). Attamen illa dubitatio non obstat, quominus in sententia nostra permaneamus. Nam cum exploratum sit plus quam trecenta verba a Charisio enumerari ea ratione, ut composita sine simplicibus non inducantur nisi, qua de causa omittantur simplicia, bene intellegatur, de uno tantum composito, cuius enumerationem ea ratione carere apparet neque simplex perfecto sermone trito uti quisquam negabit, hoc iudicium ferendum est: simplex „ruo" „rui" errore librariorum aut Charisii ipsius intercidisse; id quod de verbo „quatio" minus est statuendum, quoniam perfectum „quassi" vix invenitur [8]).

1) Cf. G. L. K. I 243, 9 et 11.
2) Cf. ibid. 246, 1 et 7.
3) Cf. ibid. 246, 9 et 262, 6.
4) Cf. ibid. 247, 15 et 16.
5) Cf. ibid. 247, 3 et 6.
6) Cf. ibid. 246, 2.
7) Cf. ibid. 244, 25.
8) Cf. Phocam, G. L. K. V p. 436, 24: „similiter et glisco furio et quatio nullum habent praeteritum." Cf. etiam Forcell. s. v. „quatio sine praeterito."

Deinde Ieep [1]) Priscianum vituperat (G.L.K. II 270, 12 sqq. „supra dictis [scil. verbis, quae praeterita per 'avi' et 'ui' faciunt] addunt quidem 'neco, necavi' vel 'necui', sicut et Probus et Charisius et Diomedes, ideo quod participium praeteriti passivum et 'necatus' a 'necavi' et 'nectus' a 'necui' facit), quod Diomedem minus accurate afferat; nam, ait, Diomedem quamquam formas et „necavi" et „necui" praebeat, tamen utriusque formae notiones discrimine separare docentem [2]): „neco necui ...; verum tamen et necavi legimus, ut nectus necatus, et hoc differre malunt, necui quasi suffocavi, necavi ferro occidi." Cuius discriminis vero Priscianum nullam mentionem in praeteritis facere, contra tum demum, cum de participio agat [3]), admonere: „sed proprie 'necatus' ferro, 'nectus' vero alia vi peremptus dicitur."

Ego vero nullam causam esse iudico, quod Priscianum accusemus. Nam primum quidem Priscianus (cf. 470, 12) ad nihil nisi formam duplicem spectat, itaque disiunctos usus a Diomede commemoratos hoc loco haud ignarus facile omittere potuit; deinde Priscianus, cum postea diversas notiones participiorum „nectus" et „necatus" praedicat, nulla certe re cogitur Diomedem testem citare, immo vero potuit hanc scientiam vel ab alio nescioquo auctore non nominato vel ex se ipso haurire. Ceterum sine ullo labore fieri potest, ut illam distinctionem notionum apud Priscianum ad Diomedem referamus; neque enim dubitandum est, quin disiunctos usus et ad perfectum et ad participium revocent non minus Diomedes („ut nectus necatus, et hoc differre malunt, necui quasi suffocavi, necavi ferro occidi") quam Priscianus, utpote qui ad hoc praeceptum illustrandum exempla afferat, quibus peculiaris usus et participii [4]) et perfecti [5]) confirmetur.

1) Philol. 1908 p. 24.
2) Cf. G.L.K. I 366, 4 sqq.
3) Cf. G.L.K. II 470, 21.
4) Cf. G.L.K. II 470, 14 sqq.: „Horatius in I epistularum: Spem mentita seges, bos est enectus arando. — Livius ab urbe condita XXI fame, frigore, illuvie, squalore enecti. Cicero Tusculanarum I: enectus siti Tantalus."
5) Cf. ibid. 470, 22: „Ennius: Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis."

Tum miro errore implicitus esse Ieep videtur, cum dicit [1]) verba Prisciani [2]): „componuntur etiam cum adverbiis pronomina: 'eccum, eccam, eccos, eccas, ellum'; cum praepositione etiam secundum Donatum: 'mecum, tecum'" non nisi ad Donat. G. L. K. IV 386, 13: „personalia (scil. adverbia) ut mecum tecum secum nobiscum vobiscum" referenda esse. Cum autem Donatus, sicut alii grammatici [3]), tales compositiones adverbia esse velit, Ieep opinatur [4]) — ut ipsius verba afferam —: „so hat Priscian hier den Donat ganz sinnlos und mechanisch nachgeschrieben" [5]). Attamen, hercle, nulla res est Prisciani testimonio cum illo Donati loco, sed potius ad Donat. 389, 20 Prisciani verba spectant, ubi, cum de praepositione agatur, haec invenis: „nam (scil. praepositio) aut nomini praeponitur, ut invalidus; aut pronomini praeponitur, ut prae me, vel subponitur, ut mecum tecum nobiscum vobiscum." En, planum consensum habes, nisi quod hic verbo supponendi, ille componendi utitur. Adde quod alio loco docemur Priscianum, quod Donatus [6]) de personalibus adverbiis praecipit, non inspexisse vel potius non comprobasse. Multis enim verbis Priscianus expedit [7]): „quaeritur, 'eccum, eccam, ellum, ellam, eccos, eccas, mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum' pronomina sint composita an adverbia? ad quod dicendum, quod adverbia personas simul et numeros et casus in eodem habere non possunt"; deinde [8]) pergit: „sunt igitur sine dubio pronomina." Quibus rebus apertum est fundamentum quo nisus Ieep Priscianum nulla mente ac ratione usum esse putat, in se ipsum concidere.

1) Cf. Philol. 1908 p. 27.
2) Cf. G.L.K. II 596, 8.
3) Cf. L. Ieep, Zur Geschichte der Lehre von den Redeteilen eqs. p. 279.
4) Cf. Philol. 1908 p. 27.
5) Cf. etiam illius verba ibid. p. 30: „Dabei zeigt sich aber gelegentlich mechanisches Nachschreiben ohne Verstand", nec non ibid. p. 50: „Diejenigen, deren Stellen wir genau controllieren können, sind nicht immer genau und gelegentlich höchst mechanisch benutzt worden."
6) Cf. G.L.K. IV 386, 13 sq.
7) Cf. G.L.K. II 593, 25 sqq.
8) Cf. ibid. p. 594, 5.

Denique Ieepio concedere nequeo, quod imputat Prisciano confusionem Probi et Diomedis. Legimus enim in margine Prisciani codicis Caroliruhensis [1]: „probus. est verbum praeterea hio hias ex quo freqñtatiuum hiato, as inchoativum vero hisco, is. sed quamquam ita esse (l. sese) habet tamen plus inesse in eo videtur quod est hiscere quam hiatare.“ Cum vero in libris, qui Probi nomine feruntur, nullum locum habeas, cui illa verba respondeant, Ieep Iulium Steup [2]) secutus Diomedem [3]) Prisciani fontem esse vult [4]) admonens talem confusionem non raro a grammaticis factam esse. Mihi vero, etiamsi cetera similiter proferantur, quod Diomedes Prisciano discrepante dicit „tamen plus inesse videtur in eo quod est hiscere quam hiare“, potius ita explicandum mihi videtur esse, ut hic communem fontem Prisciano et Diomedi fuisse statuamus quam ut coniciamus alterum alterum falso exscripsisse. Gravius autem argumentum, quo tota lis dirimitur mea quidem sententia, id esse existimo, quod Priscianum ubique Diomedem a Probo minore accuratissime distinguere infra cognoscemus. Ceteroquin iuvat animum revocare ad sententiam Georgii Goetz, qui censet [5]): „dass er (scil. Priscianus) aber mit dem Namen Probus auch öfter Diomedes und Charisius meinen oder dass er an andern Stellen einen volleren Sacerdos gehabt haben soll, sind Auskunftsmittel bedenklicher Art.“ Quae cum ita sese habeant, recte Keilium [6]) iudicasse illam adnotationem in codice Caroliruhensi factam ad M. Valerium Probum Berytium pertinere, ex quo Diomedem non pauca hausisse Keil [7]) docet, existimo.

Iam summam rei, quam adhuc eruimus, paucis colligamus: demonstrasse mihi videor Priscianum quattuor illis locis modo disceptatis liberandum esse crimine socordiae ac neglegentiae,

---

1) Cf. ibid. p. 428, 12 apparat. critic.
2) Cf. Iulium Steup, De Probis grammaticis, Ienae 1871, p. 178.
3) Cf. G. L. K. I 343, 13—16.
4) Cf. Philol. 1908 p. 32.
5) Cf. Bursiani annal. l. s. s. p. 136.
6) Cf. G. L. K. IV praefat. p. XXII. Cf. etiam G. L. K. II 428, 12 apparat. critic.
7) Cf. G. L. K. I praefat. p. LI sqq.

quam Ieep ei adscribit. Quodsi vero altera ex parte reputabimus grammaticum permagnam silvam testimoniorum ex Charisio [1]), Diomede [2]), Donato [3]), Probo minore [4]), Servio [5]), Nonio Marcello [6]), petitorum accuratissime excerpsisse, in promptu erit putare tres reliquas discrepantias, quae inter Priscianum et Charisium [7]) et Phocam [8]) intercedunt, vitiosa memoria horum vel illorum librorum ortas esse. Ergo Ieep parum recte fidem Prisciani accusavisse mihi videtur, immo vero laudandam esse diligentiam accurationemque censeo, qua doctor Caesariensis usus est. Quocum iudicio aptissime in comparationem vocare licet, quae Hermannus Karbaum [9]) in dissertatione rebus ad quaestionem propositam spectantibus curiose ac probabilissime pertractatis statuit [10]): „summi momenti est Priscianus, qui quanta in citando diligentia fuerit et qua fide dignus sit ex iis quae disputavi satis luculenter apparere existimo.“

§ 4. Quibus absolutis accingamur ad alteram rem inquirentes, quam rationem Priscianus in auctoribus excerpendis adhibuerit. Iam vero animum attendas velim ad sententiam, quam Ieep de hac quaestione protulit, ut tecum reputes, utrum illius iudicium stare possit necne.

Ut Ieepii viam disserendi sequamur, a Charisio exordium faciamus. Si quis locos ex Charisio allatos acrius contempletur, eum non fugiturum esse ait Ieep [11]), testimonia illa rara ex paginis angusto intervallo distantibus arrepta atque a Prisciano

---

1) Cf. Ieepium in Philol. 1908 p. 22 sqq.
2) Cf. ibid. p. 24 sqq.
3) Cf. ibid. pp. 25—30.
4) Cf. ibid. pp. 31—34.
5) Cf. ibid. p. 43 sq.
6) Cf. ibid. p. 65 sq.
7) Cf. G. L. K. II 470, 12 et G. L. K. I 243, 10; G. L. K. II 515, 16 et G. L. K. I 246, 5; Ieep l. l. p. 24.
8) Cf. G. L. K. II 515, 16 et G. L. K. V 433, 24; Ieep l. l. p. 46.
9) Karbaum, De auctoritate ac fide grammaticorum latinorum in constituenda lectione Ciceronis orationum in Verrem. Halis 1883. Cf. etiam Georgium Goetz l. l. p. 155.
10) l. l. p. 38.
11) Cf. Philol. 1908 p. 25.

ipso per certa intervalla eiecta esse; qua ex re levitatem rationis expertem Prisciani satis clare apparere.

Quod iudicium ego quidem comprobare nequeo. Neque enim contenti erimus eo, quod Ieep nobis indicat ex quindecim illis locis contineri undecim pp. 243—247. Charisianis, unum autem haud procul ab iis inveniri p. 253, denique ceterorum trium duos ex p. 42 sumptos esse, sed quaeremus, de quibus rebus his locis disputetur. Et iam cognoscemus locis illis Charisianis quindecim duodecies agi de speciebus temporis praeteriti verborum, ter de nominum casibus tractari. Qua ex re ita iudicandum esse videtur mihi: ex Charisio fere nihil Priscianus in testimonium vocavit nisi nonnulla praecepta de perfectis verborum. Atque Priscianus, ut maiorem fructum e Charisio capere potuerit, tamen non adeo est vituperandus, quod ex illius copiis partem de perfectis tantum copiosissime tractatam elegit. Praeterea in promptu est cognoscere Priscianum quinquies [1]) Charisii praecepta improbare, et cetera, quae doctor Caesariensis in examen vocavit, notatu haud indigna esse. Nec quisquam contendet Priscianum in tractatu verborum excerpendo ratione optima carere, cum in tertia coniugatione, quae est amplissima, octo testimonia Charisiana, in secunda duo, in prima et quarta singula afferantur. Quibus rebus expositis luce clarius apparet cur illi loci in paucis paginis Charisianis stipentur neque magis Priscianum esse accusandum ideo, quod illa testimonia pp. 470—541 haud procul inter se disiuncta protulit, id quod Ieep [2]) acerbissimis verbis exagitat. Quonam, quaeso, alio loco Priscianus illa documenta de praeteritis proferre debuit, nisi eo, ubi ipse quattuor illos ordines verborum tractavit?

1) Cf. G. L. K. II 234, 15: „'ir', quod est indeclinabile, quamvis quidam ut Charisius 'ir iris' declinaverunt.“ Ibid. 250, 17: „'haec pollis pollinis' — sic Charisius; Probus autem et Caesar 'hoc pollen, pollinis' declinaverunt.“ Ibid. 502, 6: „'quatio quassi' quod teste Charisio in usu non est.“ Ibid. 503, 17: „'unguo' Nisus quidem et Papirianus et Probus tam 'ungui' quam 'unxi' dicunt facere praeteritum, Charisius vero 'unxi' tantum.“ Ibid. 535, 12: „secundem Diomedem et Charisium o in i convertentia faciunt praeteritum perfectum: „... similiter 'quaeso, quaesi'; Probus tamen 'quaesivi' dicit, et melius.“

2) Cf. Philol. 1908 p. 25.

Quae de Charisio modo dixi, eadem valent de ratione intercedente inter Priscianum et Diomedem. Omnes enim eius loci, quos Priscianus laudavit, ad praeterita formanda pertinent; quare nihil est mirandum, quod hos quoque locos et apud Diomedem [1]) et apud Priscianum [2]) arte cohaerentes invenis. Ergo ne hic quidem Ieepii [3]) ratio erroris prorsus expers videtur esse.

Iam in censum venit Donatus, quem auctorem attigisse Priscianum leviter consilioque carentem Ieep [4]) iudicat. Nam commentarios illos pretiosos a Donato ad Terentium et Vergilium compositos a Prisciano paene neglectos esse; praeterea illa testimonia non minus ex Donati artibus quam ex Charisio et Diomede festinanter collata esse idem censet.

Sed iterum Ieepium minus recte de Prisciani consilio ac ratione existimasse explanare conabor. Nam si quid video, nihil agit ille, cum ad numeros paginarum tantum spectans admonet illorum ex arte maiore sumptorum sex [5]) locos arte contineri paginis Donatianis 389—391, tres [6]) paginis 370—373, ex illis tribus locis, quos Priscianus arti minori debeat, duos de pagina 359 depromptos esse. Potius alia ratio adhibenda esse videtur mihi neque Ieepii iudicium te comprobaturum esse suspicor, si illa testimonia ex Donati artibus allata — de Donati commentariis postea agetur — intentius contemplatus eris.

1) Cf. G. L. K. I 364—370.

2) Cf. G. L. K. II 470—535.

3) Cf. Philol. 1908 p. 25.

4) Cf. ibid. p. 30.

5) Sunt vere quinque tantum, nimirum (G. L. K. IV) Donat. 389, 20 = Prisc. 596, 8; Donat. 389, 22 = Prisc. II 41, 16; Donat. 390, 22 = Prisc. II 51, 18; Donat. 390, 23 = Prisc. II 354, 17; Donat. 391, 11 = Prisc. II 27, 20. Ceteroquin Ieep non plus quattuor locos ex pp. 389—391. Donatianis petitos numerare debuit, quippe qui Prisc. 596, 8 non ad Donat. 389, 20, sed 386, 13 pertinere velit (cf. supra p. 13).

6) De duobus tantum locis agitur; nam quae verba Prisc. II 505, 11 sq. leguntur, non Prisciano ipsi, sed interpolatori cuidam deberi infra confirmabo.

Primum igitur ad Donati artem maiorem animum advertamus. Ex illis locis, quos Priscianus nominatim attulit, quinque ad praepositiones pertinent, unus ad tractatum interiectionum, bini ad litteras et ad alias res. Ergo doctorem Caesariensem, quae Donatus de praepositionibus praecipit, ceteris rebus anteposuisse manifestum est, — cf. Prisciani[1]) verba: „de quibus (scil. de praepositionibus diversae significationis) sufficienter Donatus docet". — Ceterum mihi quidem persuasum est Priscianum minime quemlibet locum, quem fors ei praebuerit, ceteris prorsus neglectis laudavisse, immo vero totum Donatum diligenter legisse. Cui sententiae praesidio erunt, quae de ratione intercedente inter Donati artem minorem et Prisciani partitiones XII versuum Aeneidis eruemus.

Quod ad Donati artem minorem attinet, Ieep trium inde petitorum duos locos eadem Donatiana pagina 359 exstare destringentibus verbis praedicat. At noli Prisciano id crimini dare. Potius in rem ipsam aliquanto subtilius inquirere iubeo te, ut iustius iudicium Priscianus nanciscatur. Neque enim quemquam praeterire potest totas illas partitiones XII versuum Aeneidos[2]) principalium magno opere redolere Donati artem minorem[3]). Quod ut facilius intellegatur, nonnulla tantum documenta oculis subiciam.

Donat. 365, 10 sq.: Praepositio quid est? Pars orationis quae praeposita aliis partibus orationis significationem earum aut conplet aut mutat aut minuit.	Prisc. II 468, 21 sqq.: Quid est praepositio? Pars orationis quae praeposita aliis partibus orationis significationem earum aut complet aut mutat aut minuit.
Donat. 363, 13 sqq.: Participium quid est? Pars orationis partem capiens nominis, partem verbi; . . . Parti-	Prisc. II 473, 3 sqq.: Quid est participium? Pars orationis partem capiens nominis partemque verbi. Quot

1) Cf. G.L.K. III 354, 20.
2) Cf. G.L.K. III 459—515.
3) Cf. G.L.K. IV 355—366.

cipio quot accidunt? Sex. Quae? Genus casus tempus significatio numerus figura.	accidunt participio? Sex. Quae? Genus casus tempus significatio numerus figura[1]).
Donat. 364, 33 sq.: Coniunctio quid est? Pars orationis adnectens ordinansque sententiam. Coniunctioni quot accidunt? Tria. Quae? Potestas figura ordo.	Prisc. II 478, 15 sqq.: Quid est coniunctio? Pars orationis adnectens ordinansque sententiam. Quot accidunt coniunctioni? Tria. Potestas ordo figura[2]).
Donat. 357, 2 sq.: Pronomen quid est? Pars orationis, quae pro nomine posita tantundem paene significat personamque interdum recipit.	Prisc. II 491, 6 sqq.: Quid est pronomen? Pars orationis quae pro nomine posita tantundem paene significat personamque recipit.
Donat. 362, 15 sqq.: Adverbium quid est? Pars orationis, quae adiecta verbo significationem eius explanat atque inplet. Adverbio quot accidunt? Tria. Quae? Significatio conparatio figura.	Prisc. II 474, 25 sqq.: Quid est adverbium? Pars orationis quae adiecta verbo significationem eius explanat atque implet. Quot accidunt adverbio? Significatio et figura.

Quin Priscianus verbis, quae subiungit: „comparatio enim non omnibus accidit adverbiis; accidentia vero debent generalia esse et communia omnibus speciebus eius dictionis cui accidunt. ergo melius est pro comparatione addere accidentibus adverbio speciem"[3]) cum alios grammaticos[4]) tum Donatum perstringat non habeo, cur dubitem.

Quibus locis comparatis Donati artem minorem Prisciano in partitionibus XII versuum Aeneidos principalium conscribendis quasi fundamento fuisse, non nominato scilicet fonte, apertum est. Sed videamus, quomodo Priscianus notionem nominis

1) Cf. etiam G.L.K. III 512, 25.
2) Cf. etiam G.L.K. III 465, 37; ibid. 488, 16, alia.
3) Cf. G.L.K. III 479, 17; 480, 21; 484, 19; 505, 14; 512, 4.
4) Cf. G.L.K. I Charis. 181, 2; et ibid. Diomed. 404, 3.

definiat. Legas velim [1]: „pars orationis uniuscuiusque rei suppositae communem vel propriam qualitatem significans“ eqs. Quibus verbis Donatus vero nomen circumscribit? — Hisce [2]): „pars orationis cum casu corpus aut rem proprie communiterve significans“ eqs., sicut etiam Priscianus II 481, 1 testatur. Iusto iure igitur Priscianus hoc loco Donatum nominatim affert, quoniam ab eius sententia discedit, nec non adiungit Apollonii definitionem, quam ipse sequitur [3]: „pars orationis quae singularum corporalium rerum vel incorporalium sibi subiectarum qualitatem propriam vel communem manifestat.“ Ac Priscianum, qui accidentibus nomini additis — „qualitas species genus numerus figura casus“ — pergit: „nam comparatio generale accidens non est“, eiusdem Donati praeceptum [4] — accidunt „qualitas conparatio genus numerus figura casus“ — improbare in propatulo est. — Iam vero de verbi notione quaeramus. Priscianus docet [5]: „pars orationis cum tempore et modis sine casu actum vel passionem significans.“ Atqui Donatus verbum describit ita [6]: „pars orationis cum tempore et persona sine casu aut agere aliquid aut pati aut neutrum significans.“ Optime ergo intellegitur Priscianum II 482, 28 sqq. diserte Donatum eiusque praeceptum nomine apposito producere et repudiare certis hisce verbis: „non enim omnia verba personas habent, ut infinita et impersonalia et gerundia; oportet autem definitiones generales esse“ [7]. — Quibus rebus expositis hoc fero iudicium: nullo modo Priscianus corripiendus est, ut Ieepio placuit, de ratione, qua, cum Donati artem minorem in rem suam converteret, usus est. Cui iudicio meo minime obstat, quod Pris-

1) Cf. G. L. K. III 464, 32.
2) Cf. G. L. K. IV 355, 5.
3) Cf. etiam G. L. K. II 56, 29 sq.: „Nomen est pars orationis, quae unicuique subiectorum corporum seu rerum communem vel propriam qualitatem distribuit.“
4) Cf. l. l. 355, 6—7.
5) G. L. K. III 484, 28 sq.; cf. etiam ibid. 466, 11.
6) Cf. G. L. K. IV 359, 4 sq.
7) Cf. G. L. K. II 369, 2 sq.: „Verbum est pars orationis cum temporibus et modis, sine casu, agendi vel patiendi significativum. hac enim definitione omnia tam finita quam infinita verba comprehenduntur.“

cianus II p. 466, 28, ubi de „e“ correpta et imperativi et infinitivi tertiae coniugationis agitur, ad eandem Donatianam paginam 359 provocat, ex qua illa definitio verbi improbata sumpta est; quamquam concedo, qua de causa Priscianus eo loco Donatum nominatim testem advocet, me nescire [1].

Denique nonnulla de commentariis Donati proferam. Profecto perpauca quidem Priscianus inde in testimonium vocavit, nimirum binos locos ex Terentii et Vergilii commentis; tamen audacius Ieep mihi videtur iudicavisse hunc grammaticum illos libros fere praeteriisse. Cum enim in illis commentariis multa notatu digna exstiterint, sane mirandum esset, si Priscianus tam pretiosum promptuarium prorsus neglexisset. Hoc quidem nego Ieepium ex eo, quod quattuor tantum loci commentariorum nomine auctoris instructi laudantur, recte de hac re existimavisse. Nam nullis argumentis ille confirmavit in operibus Prisciani quattuor illis locis exceptis nusquam ulla Donati commentorum vestigia detegi posse. Eodem certe iure contendo Priscianum hic et illic fructum quendam inde cepisse. Etsi ne mihi quidem licet in hanc quaestionem magis penetrare — nam longum est totam hanc materiam summae difficultatis hoc loco pertractare, praesertim cum commentarius ille ab Aelio Donato ad Vergilium compositus aetatem non tulerit —, tamen in mea sententia maior quam in Ieepii species veritatis inest, quia modo in Donati artes inquirentes perspeximus Priscianum haud raro in auctorum silvis lignatum esse fonte non indicato; id quod vel evidentius apparebit, cum de Vergilii interprete Servio Prisciani fonte fusius agetur.

Reliquum est, ut quae Ieep [2]) de descriptione testimoniorum Donati per Prisciani libros affert, reiciam; nimirum in

1) Necesse esse videtur admoneri in Priscianum non esse conferendam culpam nonnullarum discrepantiarum, quae in partt. XII verss. Aeneid. leguntur; cf. e. g. pp. 464, 34 = 475, 12 et 478, 26 = 481, 4; 466, 13 et 482, 32 = 484, 30; 473, 5 et 486, 29 = 512, 7. Optime enim verbis, quae Henricus Keil (G. L. K. IV p. 397 sq.) de partt. XII verss. Aeneid. praefatus est, docemur illum tractatum non integrum, sed liberum arbitrium grammaticorum medii aevi satis sane passum ad nos pervenisse.
2) Cf. Philol. 1908 p. 31.

offensionem grammaticus noster irruit, quod in libris I, VI [1]), XII singulos tantum locos Donatianos laudavit, in libris XIV ter [2]) XV bis ad eius auctoritatem provocavit, in libro XVIII autem et in partitionibus versuum Aeneidis quinos locos attulit. Attamen haec res Prisciano omnino non est crimini vertenda: nam libro I Priscianus per triginta octo paginas disserit de syllaba, quod idem argumentum a Donato una pagina absolvitur. Haud alia est ratio libri VI, ubi doctor Caesariensis inde a pagina 194 usque ad paginam 282 de speciebus nominativi et genetivi casus copiosissime tractat; contra Donatus eas res in arte maiore [3]) paene ne attigit quidem. Ceteroquin illud testimonium Prisc. 260, 17 ad Terentii commentum referendum esse Ieep [4]) ipse docet. Idem fere valet de libro XII pronomen amplectente; unum illud testimonium, quod hic occurrit — p. 596, 8 —, pertinet ad Donati tractatum praepositionum [5]), quem potissimum a Prisciano exscriptum esse iam antea admonuimus. Quid igitur mirum, quod Priscianus ipso eo loco, quo praepositionum vim atque rationem exposuit, nimirum libro XIV, Donati nomen ter laudat! Neque minus facile intellegitur, quod Priscianus et in libro XVIII „De constructione“ et in partitionibus XII versuum Aeneidis quinos locos Donatianos attulit; nam his duobus libris varia et amplissima materia tractatur, cum argumenta priorum librorum artissime finiantur.

Sed iam satis multa verba de Ieepii sententia, quam protulit de ratione, quae inter Donatum et Priscianum intercedat, fecisse mihi videor. Pergamus igitur ad Probum minorem qui fertur animos advertentes. Ieep [6]), postquam concessit testimonia Probi accurate transcripta esse, Prisciano vitio vertit, quod illorum sedecim documentorum petitorum ex Catholicis,

---

1) Errat Ieep, cum librum V indicat.

2) Iterum Ieep in locis citandis in errorem incidit; nam revocat nos ad l. XIII, praeterea affirmat quater ibi Donatum in examen vocatum esse.

3) Cf. G. L. K. IV 375—377.

4) Cf. Philol. 1908 p. 26 sq.

5) Cf. quae p. 13 de hoc loco exposuimus.

6) Cf. Philol. 1908 p. 33 sq.

quae quadraginta tribus paginis absolvantur, duodecim paginis (G. L. K. IV 28—39) continentur novem, quorum eorundem quinque loci minimis spatiis inter se disiuncti quattuor paginis sese excipientibus (l. l. 36—39) exstant. Etiamsi Ieepium hac argumentandi via progredi pateremur, tamen ne sic quidem falsae ratiocinationis expers videtur esse. Nam primum Catholica quadraginta una tantum paginis absolvuntur, quo de numero insuper deducendae sunt quattuor paginae, quibus breviter de structura agitur, qui tractatus a Prisciano perspicuis de causis laudatus non est, ut per triginta septem tantum paginas Catholicorum illi sedecim loci ab hoc grammatico allati describantur. Praeterea neminem fere eo offendi posse existimo, quod novem testimonia Probi ex paginis 28—39 sumpta sunt, cum cetera septem legantur Probi paginis 9—26, nisi forte quis exspectat locos citatos afferendos esse paribus certis intervallis inter se distantes. Ad hoc clarius illustrandum paginarum a Prisciano allatarum conspectum addo hunc: Catholicon (G. L. K. IV pp. 3—43): 9, 10; 16, 18; 18, 16; 19, 30; 20, 3; 20, 28; 26, 15; 28, 23; 28, 26; 30, 8; 34, 17; 36, 12 [1]); 37, 16; 38, 6; 39, 19; 39, 26. At vero, ut iam supra dixi, ex mero conspectu numerorum earum paginarum, de quibus testimonia depromuntur, mea quidem sententia non est iudicium ferendum, utrum laudabili ratione auctor aliquis fontem exscripserit necne. Sin autem re ipsa inspecta considerabimus, quae scriptor illius libelli sibi proposuerit, nempe de catholicis nominum verborumque rationibus docere [2]), per se ipsum luculenter patebit Priscianum ea, quae ex his Catholicis in testimonium vocat, non posse non in iis

---

1) Hunc locum omittere malo. Etsi recte Ieep (l. l. p. 33) ex Sacerdote (G. L. K. VI) 488, 8: „rapio rapui, sapio sapui, vel pivi“ effecit in Catholic. p. 36, 12 verba: „sapio, pui vel pivi“ inserenda esse, tamen huic Catholic. loco eo modo correcto illa verba G. L. K. II 499, 17 sq. non respondent Certis enim vocibus Priscianus exponit: „'sapio' tam 'sapui' vel 'sapii' quam 'sapivi' protulisse auctores inveniuntur; Probo tamen 'sapui' placet dici“, quod praeceptum a Probi Catholic. 36, 12 = Sacerdot. 488, 8: „sapui vel pivi“ non mediocriter dissonat. Itaque Martini Hertz sententiam praefero, qui Prisc. locum ad Probum Berytium spectare putat; cf. huius loci apparat. critic.

2) Cf. G. L. K. IV 3, 2 sq.

ipsis libris, quibus de nominativo et genetivo casu et de speciebus perfectorum disputat, producere. Ergo subtrahitur Ieepio illud fundamentum, quo usus Priscianum accusat, quod Probi locos in paginis suis 236—257 et 469—503 conferserit.

Nunc vero Charisio, Diomede, Donato, Probo minore, qui dicitur, Prisciani fontibus in examen vocatis restat, ut quaeramus, num de ratione Servii commentariorum in Vergilium adhibendorum doctor Caesariensis ab Ieepio merito castigetur. Hic [1]) enim ait Priscianum illos commentarios parum respexisse, e quibus uberior fructus capiendus fuerit. Utrumque autem negandum videtur esse, scilicet hunc grammaticum cum multo plura praecepta inde petere potuisse tum illos libros neglexisse. Quae ut argumentis confirmem revoco te ad rationem atque indolem ipsorum Servii commentorum. Constat enim ea Servii praecepta, quae ad res grammaticas pertinent, etiam apud alios grammaticos inveniri; id quod cum alii viri docti tum Laemmerhirt [2]) evidenter demonstravit, unde nemini dubium esse potest, quin ad communem fontem redeant. Atqui maxima similitudo et cognatio rerum grammaticarum Prisciani et Servii apparet, quoniam utrumque praecipue ex Capri doctrina hortos suos irrigavisse imprimis Kirchner [3]) et Laemmerhirt [4]) optime docuerunt. Quid ergo est facilius intellectu quam quod ex Servio Vergilii commentatore non sane multum laudavit Priscianus, quippe qui easdem res grammaticas in Capri operibus invenerit! Libenter mihi assentieris, si conspexeris illum haud parvum numerum locorum simillimorum ad casus nominum spectantium a Kirchnero [5]) electum. Iam plures afferre in promptu est.

---

1) Cf. Philol. 1908 p. 45.

2) Cf. Gustavum Laemmerhirt „De priscorum scriptorum locis a Servio allatis“ in Commentationibus philologis Ienensibus vol. IV pp. 311—404. Cf. G. Goetz l. l. p. 153.

3) Cf. Ioannem Kirchner „Die grammatischen Quellen des Servius, II. Teil: Servius und Priscian“ in programmate gymnasii Brigensis 1882/83, p. 23 sq. Cf. G. Goetz l. l. p. 152.

4) Cf. l. l. p. 400. Cf. etiam ipsius Ieepii verba l. l. p. 44.

5) Cf. I. Kirchner l. l. pp. 24—35.

Serv. [1]) Aen. I 1 (p. 6, 26): „Probus ait Troiam Graios et Aiax non debere per unam i scribi“ = Prisc. II 467, 16 „antiqui solebant duas ii scribere et alteram priori subiungere, alteram praeponere sequenti, ut Troiia Maiia Aiiax.“ — Serv. Aen. I 317 p. 115, 22): „Praevertitur id est transit. dicimus autem et praevertit et praevertitur nova ratione. nam passiva declinatione utimur in activa significatione, ut hoc loco“ = Prisc. 402, 17: „'praeverto' et 'praevertor' in una eademque ponuntur significatione.“ E. g. idem versus Vergilianus. — Serv. Aen. II 651 (p. 315, 11): „praepositiones vel adverbia in 'a' exeuntia modo producunt ultimam litteram, excepto 'puta' et 'ita' = Prisc. II 65, 21: „A igitur terminantia (scil. adverbia) vel primitiva sunt, ut 'ita', quod solum a correptam habuit, quamvis quidam 'puta' quoque adverbium esse accipiant ideoque Persium id corripuisse“, ... „vel composita, ut 'praetereā, intereā, posteā anteā', quae omnia producunt a terminalem.“ — Serv. Aen. IV 23 (p. 465, 4) Agnosco participium 'agnotus' non 'agnitus'. Sallustius nec inermos ex proelio viros quemquam agnoturum“ = Prisc. 511, 3: „. . . . 'agnosco agnovi agnĭtum' in frequentiore usu faciunt“ .... 511, 11: „Sallustius tamen secundum analogiam in II historiarum: neque inermos ex proelio viros quemquam agnōturum.“ — Serv. Aen. IV 41 (p. 469, 7): „Inhospita barbara aspera. et fictum 'inhospita', cum 'inhospes' non dicatur“ [2]) = Prisc. 343, 3: „et fortassis quia haec (scil. 'hospes' et 'sospes') sola in 'es' terminantium etiam in 'a' faciunt feminina.“ iuxta alios idem versus Vergilianus ad partes vocatur. — Serv. Aen. VIII 423 (II p. 263, 8): „Hoc tunc id est huc tunc. et 'hoc' pro 'huc' posuit secundum antiquum morem: nam antea 'hoc' adverbium loci fuit“ = Prisc. II 64, 5: „pronomina quoque pro adverbiis ponuntur, ut Virgilius in VIII: 'Hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto', 'hoc' pro

---

1) Servii grammatici qui feruntur in Vergilii carmina commentarii recensuerunt Georgius Thilo et Hermannus Hagen, Lips. 1881.

2) Cf. Serv. ad Aen. III 539: „Terra hospita usurpative 'hospita' dixit; quae enim in 'es' exeunt communia esse possunt; nam femininum in 'a' non mittunt.“ Exemplum Lucani, quod sequitur, etiam a Prisciano l. l. profertur.

'huc'. — Serv. X 341 (II p. 429, 19): „Moribunda morienti similis. quod ita esse etiam Sallustius comprobat et ostendit, qui ait 'quasi vitabundus per tramites et saltuosa loca exercitum ductare'" = Prisc. 137, 16: „In 'bundus' vero desinentia similitudinem habere significant, ut 'vitabundus' similis vitanti, 'praedabundus' similis praedanti, 'errabundus' similis erranti, 'moribundus' similis morienti." — Serv. Aen. X 42 (II 389, 15): „Super imperio id est de imperio, ut (I 750) 'multa super Priamo rogitans'" (cf. I 750) = Prisc. II 55, 13: „'super' tamen quando loco 'de' ponitur, sine dubio ablativo iungitur, ut: 'Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa'." — Serv. XI 660 (II 554, 25): „'Bellantur' pro 'bellant': nam solent verba pro verbis poni: unde nunc passivam declinationem sub activa posuit significatione, sicut in georgicis (II 425) 'et placidam paci nutritor olivam' futurum tempus a passivo posuit pro praesenti ab activo: nam 'nutritor' pro 'nutri' posuit. inde est e contra (II 8) 'nox umida caelo praecipitat'" = Prisc. 390, 17: „idem in II: 'et a nox humida caelo Praecipitat', pro 'praecipitatur' vel 'praecipitat se'. Sunt quaedam, quae, cum sint passiva, sine dubio tamen inveniuntur ab auctoribus pro activis prolata, ut Virgilius: 'bellantur Amazones armis', pro 'bellant' idem in II georgicon: 'Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam, pro 'nutrito'. vetustissimi autem multa sic protulerunt confusa terminatione teste Capro" eqs. — Serv. Buc. VII 33 (III 21): „'Sinum Lactis' sinus genus est vasis: quod cum significamus, 'si' producitur; cum vero gremium significamus, 'si' corripimus. Varro de vita populi Romani 'aut lepestam aut galeolam aut sinum dicebant'" = Prisc. 262, 23: „dicitur tamen 'hoc sinum' i producto et significat vas. Varro de vita populi Romani libro I: 'ubi erat vinum in mensa positum aut galeola aut sinum'. Virgilius in bucolico: 'Sinum lactis et haec te liba, Priape, quot annis'." — Serv. Aen. I 228 (p. 86, 23): „'Tristior' comparativum posuit pro positivo. quando enim tristis est Venus, ut nunc 'tristior' diceretur? sic Sallustius 'utque ipsum mare Ponticum dulcius quam cetera'" = Prisc. 92, 12 eodem versu Vergiliano laudato: „'tristior' enim hic 'ex parte tristis' significat, et 'Iam senior, sed cruda deo viridisque senectus'; est quando ad contraria

comparatur et minus positivo significat, ut 'mare Ponticum dulcius quam cetera'."

Illos locos enumerasse satis habeo. Quod autem Priscianum parum respexisse commentarios Servii Ieep contendit, facile eum refelli posse existimo, si septem Prisciani locos Servianos acrius percensebimus. G. L. K. II 515, 22 Priscianus Servii adnotationem ad Aen. I 174 profert, ut formam illam 'excudit' esse praeteritum perfectum, non praesens confirmet. — G. L. K. II 532, 5 sqq. ille docet nos verba in 'ro' desinentia perfecta per 'vi' aut 'ui' facere duobus exceptis: gero, uro, quae s ante i in praeterito duplicare; dein pergit ita (532, 22): „'verro' enim secundum Servium [1]) 'versi' facit secundum Charisium autem 'verri', quod et usus comprobat." — Simili modo G. L. K. II 256, 9 sqq. Priscianus Servium impugnat: „'fastus', quando a 'fastidio' est verbo, quartae est, quando vero pro annali accipitur, a fastis et nefastis diebus sic dictum, frequentius secundae est. invenitur tamen et quartae. Lucanus in X: 'Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus', quod tamen errore Lucani prolatum dicit Servius [2]) in commentario tertii libri Virgiliani, cum antiquiores quoque similiter idem protulisse inveniantur." Quae ut comprobet, Horatium et Varronem in testimonium vocat. — G. L. K. II 259, 22 sqq. hic grammaticus Servio [3]) concedere non vult dicendum esse in singulari modo 'hoc specus', in plurali 'hi specus'; quia nomen 'specus' trium generum esse optimi auctores sermone ostendant. — Minus patet, quo modo explicemus, quod Priscianus, ubi vocem 'fidis' tractat, quae Servius de eadem praecipit, repudiat. Legimus enim G. L. K. II 105, 23 sqq.: „si esset 'fides' in hac significatione, quomodo Servio placet, non 'fidicula' fecisset, sed 'fidecula'." praeterea ibid. 242, 4 sqq.: „quomodo 'fidicula' docet, primitivi sui nominativum 'fidis', non 'fides' esse, quod Servio placet." Atqui Servius ad Aen. VI 120 adnotat haec: „'fidibus' autem est a nominativo 'haec fidis' ut sit pyrrichius nam 'fides' iambus est. Ergo errore nescio quo

1) Cf. Serv. ad Aen. I 59.
2) Cf. Serv. ad Aen. III 326.
3) Cf. Serv. ad Georg. IV 417 et ad Aen. VII 568.

implicitus Priscianus putat illius vocis nominativum in 'es' desinentem Servio probari[1]). Sed, utut de hac re quispiam existimat, id quidem luce clarius apparet Priscianum Servii sententiam damnare. — Denique inspicias velim G. L. K. II 233, 13 sqq.: „'haec acer arbor acri' dicit Servius in commento Virgilii, cum nullum in 'er' femininum secundae inveniatur." et ibid. 151, 2: „'haec acer' quod 'huius aceris' facit genetivum: nullum enim femininum in 'er' desinens secundae potest inveniri declinationis." Quae si conferuntur cum Servii[2]) lectione, quam Georgius Thilo praebet: „'Abiete costas' non sine ratione Vergilius hoc loco abietem commemorat, item acerem et pinum paulo post", parum manifestum fit, quid Prisciani illa verba sibi velint. Nunc autem Thilo ipse ostendit, qua via quaestionem persolvamus, cum in apparatu critico huius loci adnotat: „'acerum' C. idem exhibuisse videtur is liber quo Priscianus usus est, qui VI 44 (I p. 232, 13 H.) 'haec acer arbor acri (fort. haec acer (arbor) aceri) dicit Servius in commento Virgilii'." Ac profecto unus Prisciani codex h exhibet: 'aceri'. Igitur bene intellegitur, quae ratio inter grammaticum et Vergilii illum commentatorem intersit. — Quibus expositis cum cognoverimus Priscianum septem locorum, ubi Servium nominatim profert, sex locis eius sententiam impugnare, me quidem iudice cogendum et concludendum est minime grammaticum illum parum respexisse Servii commentarios, immo vero diligenter pervolvisse; nam quis, quaeso, opinetur casu quodam accidisse, ut Priscianus talia ipsa inde auctoris nomine apposito attulerit, quae falsa esse ei videntur! Ceteroquin in doctoris Caesariensis operibus non ita pauca vestigia nobis occurrunt, quae interpretum doctrinam sapiunt. E. g. haec in medium voco: Serv. Aen. I 1 (p. 6, 19): „arma possunt et aliarum artium instrumenta dici, ut Cerealiaque arma" = Prisc. II 461, 27 sqq.: „arma enim dicuntur instrumenta non solum bellica sed etiam omnia, ut Virgilius de agrestibus in primo libro georgicon

1) Cf. Georgium Thilo l. l. praefat. p. XXXV: „atque III 30" (scil. Prisc.) „(I p. 106, 1 H) et VI 57 (I p. 242, 4 H) memoria falsus, ut videtur, Servio tribuit quae ab eo aliena sunt. Cf. ad Aen. VI 120."

2) Cf. Serv. ad Aen. II 16 (p. 216, 21 sq.).

'dicendum, duris quae sint agrestibus arma'. nautarum quoque instrumenta et pistorum arma dicuntur: Virgilius in quinto Aeneidos 'colligere arma iubet validisque incumbere remis'; idem in primo Aeneidos 'Cerealiaque arma expediunt'." — Serv. Aen. I 20 (p. 19, 25 sqq.): „'arces' autem ab eo quod est arceo dictae, quia inde hostes arcentur, id est prohibentur; et arcus, genus teli, quod huius ministerio sagittae arceant hostem" = Prisc. II 498, 33 sqq.: „Ab arceo verbo arx, quae arcet facile munimento suo hostes. inde etiam summitates montium, ex quibus facile possunt depelli hostes, arces dicuntur, et arcus, quod longe arceat similiter hostes"[1]). — Serv. Aen. III 489 (p. 427, 7 et 10): „'Mei super Astyanactis imago'" .... „deest 'est'" = Prisc. II 111, 1 sq.: „'O mihi sola mei super Astyanactis imago'; deest enim verbum ad perfectionem orationis." — Serv. Aen. VI 802 (II p. 113, 11): „'Fixerit aeripidem cervam' pro 'aëripidem'" = Prisc. II 113, 3 sqq.: „'Fixerit aeripidem cervam licet aut Erymanthi Placarit nemora' 'aeripidem' pro 'aëripidem'." — Serv. Buc. III 96 (III p. 41, 20 sq.): „'Reice capellas' 'reice ca' proceleusmaticus est pro dactylo" = Prisc. 14, 16 sqq.: „'reice'. Virgilius in bucolico [proceleusmaticum posuit pro dactylo]: 'Tityre pascentes a flumine reice capellas'." — Serv. Georg. III 381 (III p. 306, 18 sq.): „'Septem subiecta trioni' tmesis est pro 'septemtrioni'; id est septemtrioni subiecta" = Prisc. II 113, 9 sq.: „'septem subiecta trioni', pro 'septemtrioni subiecta'."

Cum ad finem huius paragraphi pervenerim, liceat mihi breviter comprehendere, quae hac dissertationis parte demonstrare studui. Primum quidem minus recte ex mero conspectu paginarum, et unde doctor Caesariensis documenta petiverit et ubi protulerit, Ieep iudicare mihi visus est de Prisciani ratione fontium adhibendorum. Deinde exploravimus hunc grammaticum iuxta fontes principales in quibusdam libris componendis alios quosdam auctores usurpasse. Tum vidimus eundem haud ita raro praecepta priorum sua fecisse nominibus eorum omissis. Accedit, quod statuere possumus doctorem Caesariensem testes grammaticos nominatim paene non attulisse nisi eis locis, quibus

1) Cf. G. Thilo l. l.

aut diversas sententias enumeravit aut horum illorumve opiniones impugnavit. Ergo ex iis, quae modo elicuimus, nos non habere elucet, cur rationem a Prisciano in excerpendo adhibitam vituperemus.

§ 5. Restant vero aliae quaedam res, quibus commotus Ieep Prisciani auctoritatem imminuere studet. De quibus argumentis quae sentiam, nunc explicabo. — Legimus in Partitionibus XII versuum Aeneidos, ubi de nominibus verbalibus, quae verbo 'pandere' accidunt, disceptatur[1]: „est tamen et aliud verbale pandus panda pandum: Donatus 'panda et contractior' et Ovidius in tertio metamorphoseon 'panda naris'.“ Quae ad verba spectans Ieep[2]) Priscianum increpat, quod Donati iuxta Ovidii sermonem posuit; multo gravius autem in eum invehitur p. 51 obiurgans, quod Donati sermonem tanti, quanti Ovidii existimaverit. — Equidem vero puto Ieepium subicere Prisciano rem ab eo longe alienam. Nulla enim voce hic grammaticus indicat se aequare Ovidii elegantiam dicendi cum sermone Donati; potius, opinor, Priscianus Ovidium et Donatum una attulisse videtur eo consilio ductus, ut illud nomen verbale 'pandus' et apud veteres et posteriores in usu fuisse ostenderet. Quod autem ex Donato Priscianus ad usurpationem verbi alicuius comprobandam testimonium affert, non habeo cur offendam; neque enim quisquam ignorat Donati auctoritatem apud posteriores grammaticos plurimum valuisse. Ceterum iam Martinus Hertz illa supra memorata verba doctori Caesariensi abrogavit; sed minime illum locum uncis quadratis saepsit eo, ut Ieep censet, quod fieri non potuisse arbitraretur, ut Priscianus Donati verbis usum quendam loquendi confirmaret, — nam haec si ita essent, Hertz certe me quidem iudice etiam duos illos eiusdem rationis locos[3]) delevisset —, sed potius interpolationem

1) Cf. G. L. K. III 505, 10 sqq.

2) Cf. Philol. 1908 p. 27.

3) Cf. G. L. K. III 284, 3: „Donatus in secunda arte de nomine: 'sed modo nomina generaliter dicimus' pro nunc.“ Ibid. 414, 21: „Donatus in arte prima 'atque excepto amphibracho et epitrito, quorum alterum sescupla, alterum epitrita divisione partimur, universorum pedum trina condicio reperitur' pro tripertita dixit.“

suspicatus est, nisi omnia me fallunt, propterea, quod nomen 'pandus, a, um' non ad verbum 'pandere' spectare, sed a stirpe verbi 'pandare' derivatum esse intellexit; praeterea totum illud enuntiatum prorsus non quadrat in sententiarum conexum; nam illa verba, quae antecedunt: „nomen verbale rei hic passus huius passus, quod significat τὸ βῆμα, id est quod patet in spatio distantiae pedum“ nullo modo divelli possunt ab his: „nam passio magis a patior est.“

Iam vero ad aliam rem accedamus, qua nullam magis aptam esse ad Prisciani inscientiam ac stultitiam demonstrandam Ieep putat[1]). Apparet enim Priscianum sub Probi nomine testimonia afferre, quae partim ad M. Valerium Probum Berytium, grammaticum illum ornatissimum praeclarissimumque primi p. Chr. n. saeculi, redeunt, partim ex libris illis quarto p. Chr. n. saeculo sane male conscriptis „De catholicis“ et „Instituta artium“, quibus Probi nomen praefixum est, petita sunt, nulla quidem voce indicantem hunc Probum ab altero illo optimo distinguendum esse.

Priusquam autem de Ieepii iudicio verba faciam, perpaucis exponam, quantum ad nostrum pertinet, quae viri docti huius aetatis de quaestione Probiana fere sentiant. Nam totam rem et quascumque sententias homines litterati, cum huic rei operam navarent, deinceps protulerunt, explicare meum non est. Haec igitur viris doctis probantur[2]): M. Valerius Probus „multa exemplaria contracta emendare ac distinguere et adnotare curavit soli huic nec ulli praeterea grammaticae parti deditus“ (Suet. ed. Reifferscheid p. 118). „Reliquit autem non

1) Cf. Philol. 1908 p. 31: „Wir kommen zu den Citaten des Probus und damit zu dem für Priscian trübseligsten Abschnitte.“ Cf. etiam ibid. p. 51.

2) Cf. W. S. Teuffel hist. litt. rom.[5] p. 729 sqq.; M. Schanz hist. litt. rom.[2] II p. 337 sqq. Si quis intellegere vult, quae de singulis rebus huius materiae viri docti senserint, ei hi libri adeundi sunt potissimi: H. Keil G. L. K. IV p. XVI sqq.; I. Steup, De Probis grammaticis 1871; W. S. Teuffel, Studien und Charakteristiken, 1871; B. Kuebler, De M. Valerii Probi Berytii commentariis Vergilianis, 1881; I. Vahlen, Ind. lect. hib. Berol. p. 9—10, 1877; I. W. Beck, De M. Valerii Probi Berytii quaestiones novae 1886; B. Kuebler, Berl. Philol. Wochen-

mediocrem silvam observationum sermonis antiqui" (Suet. ed. Reifferscheid p. 119). Quo ex fonte uberrimo grammatici aetate inferiores doctrinam hauserunt copiosissimam. Ad alterum autem Probum referenda sunt illa „Instituta artium"; quamquam subdubitare licet, utrum re vera Probus quidam grammaticus quarti p. Chr. n. saeculi floruerit, an aliquis anonymus illa conscripserit. Quod vero ad „Catholica" attinet, satis constat libros eorum manuscriptos — sicut et Appendicis illius et scripti „De nomine excerpta" — falso Probi nomine instructos esse. Potius enim „Catholica Probi" M. Plotio Sacerdoti vindicanda sunt, cuius alterius libri sunt altera recensio.

Sed tota haec quaestio non multum valet ad recte iudicandum de Prisciani ingenio et scientia sermonis latini. Doctor Caesariensis ne distinxerit Probum illum Berytium ab auctoribus Catholicorum et Institutorum, quae Probi nomine feruntur, tamen ea de causa minime videntur mihi damnanda esse eius studia litterarum. Siquidem recte existimo, omnino procul afuerunt homines docti illius aetatis, ut deliberarent et quaererent, utrum iure libri quilibet auctoris alicuius nomine inscriberentur necne. Sane acquievit Priscianus eo, quod haec scripta Probo cuidam tributa invenit neque diligenter in animo perpendit, utrum Berytius ille an alius Probus intellegendus sit. Quam sententiam confirmari gaudeo ab Henrico Keil[1]) hisce verbis: „wer einigermassen diese Grammatiker kennt, wird sich wohl hüten ihnen diese Art von litterarhistorischer Kritik zuzumuten." Ceterum Priscianus eo magis putare potuit illis libris nucleum Berytii subesse, quod illius veteris grammatici doctrinam non nisi ex Capri scriniis cognovit. Haec sunt, quibus commotus animum inducere nequeo, ut probem verba illa Ieepii[2]): „Schon oben p. 31 ist darauf aufmerksam gemacht,

schrift 1887, p. 1372 sqq.; I. W. Beck in Fleckeisen. annal. 1892, XIX suppl.: Studia Gelliana et Pliniana; P. Rosenstock in Philol. LI 1892, p. 670 sqq.: Ein Beitrag zur Probus-Frage; I. W. Beck, Plinii reliquiae, comment. isagog. p. XVI; Ieep, Geschichte der Redeteile pp. 73—82; Leo, Plautinische Forschungen, 1895, p. 21 sqq.

1) Cf. Fleckeisen. annal. 1867, p. 639.

2) Cf. Philol. 1908 p. 43.

was für einen Einblick die Vermengung der beiden Probus in das Können oder richtiger in das bodenlose Nichtkönnen des Priscian eröffnet. Die Möglichkeit einer derartigen Vermengung ist für Priscian's geringe Fähigkeit so charakteristisch, dass alles andere, was uns die Untersuchung der Benützung seiner Quellen nach dieser Seite hin bereits gelehrt hat, vollkommen in den Hintergrund tritt."

Sed his missis denique quaestio exoritur, num Ieep[1]) ex eo, quod eorum scriptorum Capri aetate minorum, qui non versantur in rebus grammaticis, nulla vestigia — nisi respicis singula illa testimonia ex Ammiani Marcellini rebus gestis et ex Vegeti Renati epitoma rei militaris et tria ex Solini collectaneis rerum memorabilium petita — in Prisciani operibus inveniuntur, recte concluserit hunc grammaticum inertiorem atque hebetiorem fuisse, quam ut ex suo animo scriptores in rem suam adhibere posset.

Equidem a veritate me aberraturum non esse spero, si illam quoque ratiocinationem certis argumentis carere existimo. Nam si Priscianus nullam mentionem fecit Marii Maximi, Sereni Sammonici, Olympii Nemesiani, Iulii Pauli, Gargilii Martialis, Festi Avieni, Magni Ausonii, Claudii Claudiani, Rutilii Claudii Namatiani, Iulii Valerii, omnino non fieri potuisse duco, ut doctor Caesariensis eos testes afferret. Minime enim constat illorum scriptorum, qui tertio, quarto, quinto p. Chr. n. saec. in regionibus imperii Romani ad occidentem versis floruerunt, ullos libros manuscriptos in urbem Romam Constantinopolim pervenisse[2]) neque ideo, quod Servius Vergilii interpres et auctores „de dubiis nominibus" (G.L.K. V 571 sqq.) et „explanationum in artem Donati" (G.L.K. IV 486 sqq.) et scholiasta quidam Statii Thebaidis perraro Avienum, Ausonium, Claudianum, Iulium Valerium, Olympium Nemesianum, Gargilium Martialem

1) Cf. Philol. 1909 p. 10 sqq.; 1908 p. 17 et p. 48 sqq.

2) E. g. cf. quae M. Schanz in hist. litt. rom. III² p. 85 de Mario Maximo adnotat: „So war sein Buch reich an pikantem Material und fand noch zu Zeiten des Ammianus Marcellinus eifrige Leser. Aber trotzdem überdauerte es nicht die Stürme der Zeit, nur die Scriptores historiae augustae benutzten es als eine Quelle reichen Stoffes."

laudant, exploratum est, ut Ieepio placet, eosdem Prisciano quoque ad manum esse potuisse, qui in altera urbe Roma doctor fuit.

§ 6. Haec habui, quae de Ieepii disputatione, quatenus ad Prisciani ingenii facultates pertinet, mihi dicenda esse viderentur. Ut rationem subducam, haec rei summa est: si recte disserui, Priscianus optima fide est dignus, cum ingentem silvam testimoniorum idque, quoad rem nobis examinare licet, diligentissime memoriae tradiderit. In auctoribus excerpendis probandam rationem adhibuit neque, quod ad ceteras res spectat, habeo, cur huius grammatici indolem atque auctoritatem vituperem. Quae cum ita esse mihi persuaserim, cum Ieepio facere nequeo, qui Prisciano ingenium omnino abiudicat eiusque inscientiam linguae latinae tantam esse putat, ut ne unum quidem exemplorum illorum pretiosissimorum ad antiquissimas litteras pertinentium ab eo ipso colligi potuerit.

Priusquam autem hanc quaestionis partem missam faciamus, nonnulla verba addenda sunt de Ieepii altera dissertationis parte, qua paene omnia exempla a Prisciano allata e Capri libris hausta esse confirmare studet. Quibus argumentis hac in re usus sit, iam supra memoratum est; quapropter hoc loco paucis comprehendam, quid de illis sentiam. Profecto non mirum videtur, quod Ieep, quippe qui confidat Priscianum parum idoneum fuisse ad scriptores antiquos ipsos perscrutandos, totum illum thesaurum Capro vindicat; cuinam alii potius illam collectionem addicere debuit? Sed quoniam evici Ieepium erravisse in priore parte, quae ei quasi fundamento fuit [1]), non mediocris dubitatio me subit de sententia, quam ille in altera disputationis parte de origine locorum a Prisciano laudatorum profert. Quamquam sane pro certo habeo Caprum haud parvam copiam vetustissimorum testimoniorum praebuisse, ut iam supra dixi, tamen me quidem iudice nulla re exploratum est

1) Quantopere Ieep prima dissertationis parte nitatur, satis evidenter elucet ex iis, quae ad G. L. K. II 213, 14 („inveni (!) apud Livium in CXII ab urbe condita" eqs.) apponit; cf. Philol. 1909 p. 20 adnot. 35: „kein Mensch wird das noch ernstlich auf Priscian selbst beziehen nach unsern Ausführungen, Aufs. I. Vgl. daselbst p. 51."

Priscianum omnia exempla non nisi e Capri libris descripsisse. Nam in argumentis, quibus Ieep omnia inde petita esse comprobare studet, vim demonstrandi non inesse censeo.

Quibus expositis re ipsa, opinor, nihil obstat, quominus grammaticum nostrum hic et illic optimos antiquitatis auctores ipsum adiisse statuamus. Qua re per se minime improbari posse existimo, quod Karbaum in dissertatione [1]), cuius iam mentio facta est, nos revocat ad nonnullos locos, quibus Priscianus complurium eorumque antiquissimorum codicum lectiones scriptorum quorundam suppeditat. Unde ille optimo iure effecit Priscianum in eis exemplis, quae ex veterum grammaticorum libris apposuit, interdum complures inspexisse libros manuscriptos, „ut quas in fontibus invenit lectiones, ipse in examen vocaret eoque magis firmaret." Ne putemus doctorem Caesariensem varias illas lectiones iam apud grammaticos auctores invenisse, Karbaum admonuit apud ceteros grammaticos, quorum doctrina ex iisdem fontibus fluxit, quibus hic usus est, ne unum quidem eius rationis additamentum detegi posse, quale Priscianus saepius profert, ut „in quibusdam tamen codicibus invenitur", „in aliis", similia. Certe rarissima esse talia concedendum videtur.

§ 7. Quibus rebus absolutis si iam efficitur, ut Priscianum in exemplis afferendis hic illic exemplaria quaedam veterum auctorum adhibuisse putemus, maiore probabilitate haec sententia instruitur comparandis Prisciani locis cum Plauti testimoniis apud alios grammaticos servatis. Cum enim Capri sapientiam non solum ad Priscianum, sed etiam ad alios permanasse sane haud ignotum sit, ex conferendis exemplis de origine eorum quidpiam elici licebit.

Iam, qui grammatici in censum veniunt, examinabimus. Atque Festus et Paulus, quorum in reliquiis non pauca testimonia inveniuntur, nobis mittendi sunt. Nam Eduardus Leidolph [2]) optime nos docuit eorum frusta Plautina per-

1) H. Karbaum, De auctoritate ac fide grammaticorum latinorum in constituenda lectione Ciceronis orationum in Verrem. Cf. ibid. imprimis p. 3 sq.

2) Cf. l. l. p. 199 sqq.

paucis iisque talibus, quae ad nostrum non pertineant, exceptis haud aliunde sumpta esse atque ex Verrii Flacci libris, quos de significatu verborum composuit. Nec plus lucri ex Nonii Marcelli de compendiosa doctrina libris facere possumus, cum viri docti de origine exemplorum ab illo laudatorum adhuc inter se dissentiant, quamquam multi in hanc rem inquisiverunt[1]). Quod ad locos Plautinos attinet, Paulus Schmidt, quem Hennig et Caesar sequuntur, existimat Nonium non ex Plauto ipso, sed e duobus commentariis hausisse exempla primaria, cetera quae Schmidt 'subseciva' nominat, ex adnotationibus huius scriptoris exemplari additis. Quam sententiam improbat Reblin[2]), cui Nonius glossarium videtur adhibuisse, quod grammaticus quidam composuisset. Deinde Lindsay[3]), qui imprimis ad hanc quaestionem accessit, sibi persuasit Nonium materiem suam ex Plauti ipsius duobus exemplaribus commentariis instructis congessisse nec non ex grammaticis, inter quos Aulus Gellius fuisset, partim ex scholiis, quae aliorum scriptorum marginibus adscripta invenisset, partim ex glossariis. Porro Oscar Froehde, quamquam quo modo Nonii doctrina compendiosa orta sit, a viro docto Britannico dissentit, tamen cum eo convenit Nonium non mediocrem partem testimoniorum ex commentariis ad scriptores scriptis petiisse, partem ex grammaticis, partem ex auctoribus ipsis. Denique nonnulli, ut potissimum Lucianum Mueller[4]) afferam, Nonium multa exem-

---

1) Hertz, A. Gellius und Nonius M.' in Fleckeisen. annal. 1862, p. 705; 779; Riese, Symbol. philol. Bonnens. p. 483; Schottmueller ibid. p. 809; P. Schmidt, De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis, Lips. 1868; Lindsay, Nonius Marcellus' dictionary of republican latin (St. Andrews university publications Nro. 1, Oxon. 1901); Oscar Froehde, Zur Kommentartheorie bei Nonius: Beiträge zur Bücherkunde und Philologie, August Wilmanns gewidmet, 1903, p. 265 sqq.

2) Cf. l. l. p. 61.

3) Cf. etiam eundem, praefat. ad editionem Nonii Marcelli, 1903, p. XV.

4) Cf. adversaria Noniana, editionis eius vol. II addita p. 254. Cf. etiam Ieepium Philol. 1908 p. 35: „Mich hat Lindsay .... nicht überzeugt, dass Nonius Marcellus seine Belege selbst gesucht und nicht, wenigstens vielfach, dem Caper entlehnt habe."

pla a Capro mutuatum esse censent, praesertim cum in illius libro tertio, quem de indiscretis generibus composuit, haud pauci loci inveniantur, quibus iisdem Priscianus usus est. Attamen parum exploratum est, utrum Nonius — qui quin multos auctores ex suis studiis percensuerit, non est dubitandum — etiamsi ex Capri hortis fructum ceperit, eandem, quam Caper, lectionem exscripserit, an scripturam, quam ipse ex Plauto petiverit, substituerit. Patet igitur non licere ex iis communibus locis, quorum diversas lectiones Nonius, diversas Priscianus praebent, concludere Priscianum exempla e Capro non exscripsisse.

Sed iam vero ad rem minus lubricam accingamur artium scriptores posteriorum saeculorum inspicientes, quos et Capri pratis pastos esse constat neque ad veteres auctores ipsos adiisse certum est. Conspectum communium exemplorum habes hunc: Amph. 116 sq. Prisc. 199, 17 sq.: Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini, || Quod ego huc processi sic cum servili schema. Charis.[1]) 144, 19: huc ego processi cum servili schema[2]); cf. ibid. 53, 15. Prob.[3]) 6, 32: cum servili schema[4]). (Sacerdos 471, 10: in servili schema.) Pompeius[5]) 197, 15: processit Mercurius cum servili schema. — Amph. 161 sq. Prisc. II 422, 12 et 18: ita peregre adveniens || hospitio publicitus accipiar. Char. 214, 6: ita peregre adveniens hospitio publicitus. — Amph. frg. VI. Prisc. 168, 9: Ibi scrobes effodito tu plus sexagenos in dies. Prob. 20, 3: sexagenos scrobes. Serv.[6]) ad Verg. Georg. II 288: sexagenos

---

1) Cf. H. Keil Gr. L. VII p. 89: „Apud Charisium quoque manifesta vestigia doctrinae ex Capri libris ductae apparent. praeter excerpta Iulii Romani, in quibus haud dubie multa ... ab eo desumpta sunt, in primis huc pertinent ea, quae de declinatione et de generibus nominum scripta sunt" ... G. Keil l. l. p. 47.

2) Cf. G. Keil l. l. p. 48; Fr. Goetting, De Flavio Capro Consentii fonte p. 10; Wischnewski l. l. p. 55.

3) Cf. H. Keil Gr. L. IV p. XXV; Neumann l. l. p. 41.

4) Cf. G. Keil l. l. p. 50; Goetting l. l. p. 10 adn. 1.

5) Cf. G. Keil p. 55.

6) Cf. I. Kirchner in programmat. gymnas. Brigens. p. 37: „Caper ergiebt sich also auch hier als die gemeinsame Quelle"; G. Laemmerhirt l. l. p. 400.

in dies scrobes. — Aulul. 2. Prisc. 223, 15: Ego sum Lar familiaris. Prob. 15, 7: ego sum Lar familiaris. — Aulul. 555. Prisc. 210, 3: Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit, || Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit. Serv. ad Aen. VI 90: additus Ioni Argus[1]). — Capt. 764 sq. Prisc. 207, 7: neminis || Misereri certum, quia mei miseret † nemo[2]). Charis. 138, 7: neminis misereri certum est[3]). idem 159, 33: neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem. Diomed.[4]) 333, 33: neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem. — Pseud. 10. Prisc. 471, 3: Gestas tabellas † eas lacrimis lavis. Diomed. 381, 13: gestas tabellas, eas lacrimis lavis[5]). — Pseud. 177 sq. Prisc. 170, 14: Nisi mihi annuus penus hic ab amatoribus congeratur, || Cras populo prostituam vos, o puellae. Serv. ad Aen. I 703: nisi mihi annuus penus datur[6]). — Pseud. 817 sq. Prisc. 205, 2: Teritur senapis scelera, cum illis, qui terunt, || Priusquam triverunt, oculi ut extillent facit. Charis. 63, 5: teritur sinapi. idem 144, 10: teritur sinapis scelera, quod illi qui terit, prius quam contrivit, oculi ut exstillent facit[7]). Prob. 8, 16; 26, 29: haec senapis[8]). Serv. ad Aen. IX 484: teritur sinapis scelera. — Rud. 582. Prisc. 235, 7: Tu vel suda vel peri algu vel † etiam aegrota vel vale. Charis. 122, 20: tu vel suda vel peri algu. — Rud. 633. Prisc. 329, 21: seu tibi confidis fore multam magudarim. Prob. 13, 36: dur terminatum unum legi in Plauto accusativo casu: magadur[9]). — Rud. 942: Prisc. 270, 15: Non

1) Hunc quidem locum a Servio e memoria allatum esse apparet.

2) De consecutione 'miseret nemo' cf. quae postea de hac re adnotantur.

3) Cf. G. Keil l. l. p. 48.

4) Probum Berytium Diomedis fontem fuisse H. Keil Gr. L. I p. LII putavit dissentientibus Christio (Philol. XVIII p. 129), Steupio l. l. p. 190 sq., Neumanno l. l. p. 29 sq., G. Keilio l. l. p. 56, qui viri, ubi apud Diomedem cum Prisciano consonans sapientia obviam fieret, Diomedem e Capro hausisse recte statuerunt.

5) Cf. Neumann l. l. p. 54; G. Keil l. l. p. 57.

6) Cf. I. Kirchner l. l. p. 28; G. Laemmerhirt l. l. p. 397.

7) Cf. G. Keil l. l. p. 48; Wischnewski l. l. p. 57.

8) Cf. G. Keil l. l. p. 50.

9) Moneo me talia testimonia, quae uno vel duobus tantum verbis contineantur, fere neglexisse, ubi Prisciani cum lectionibus consentiunt.

vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu? Charis. 141, 11: non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?[1]) — Rud. 1158. Prisc. 105, 19: Post altrinsecus est securicula ancipes. Charis. 120, 15: post alterinsecus est securicula ancipes[2]). — a grammat. servat. v. 109: Prisc. 152, 8: paupera haec res est. Prob. 16, 13: paupera haec res est.

Profecto pauca sunt illa testimonia Plautina, quae apud hos scriptores nobis occurrunt, cum Priscianus suppeditet paene ducenta. Quod si doctor Caesariensis tantam silvam locorum ex Capro exscripsisset, etiam apud Charisium, Diomedem, Probum minorem, qui fertur, alios plura vestigia collectionis Caprinae detegi debebant. Neque minus neglegendum est, quod eorum lectiones haud raro a Prisciano abhorrent; adde quod illi grammatici exempla fere longe minoris ambitus praebent, cum Priscianus non ea verba sola, quae ad regulam grammaticam valent, ex Plauto sumat, sed ferme totos versus exscribat neque inchoatam sententiam in medio desinat, sed usque ad ultimum verbum pronuntiati proferat; id quod hominis esse non solet, qui ab aliena collectione tenuia frusta mutuetur.

Sed accedit alia res; offendimus interdum unius eiusdem exempli duas varias scripturas; e. g. Prisc. 270, 15: „Non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?" idem 332, 14: „Non vides proferre me uvidum retem sine squamoso pecu?" quarum altera cum Charisiana consentit, altera ab ea recedit. Quam discrepantiam Ieep[3]) ita explicare vult, ut Priscianum altero loco Caprum falso exscripsisse statuat. Attamen hac ipsa re efficitur, ut doctorem Caesariensem Plautum ipsum inspexisse ducamus; nam casu vel neglegentia, ut Ieepio videtur, minime explicandum est, cur Priscianus hic 'retem', illic 'rete' legat; altera enim scriptura consensu cum Charisio fulcitur, alteram quominus reiciamus impedimur eo, quod Priscianus expressis vocibus dicit: 'quod (scil. rete) etiam masculino

1) Cf. Wischnewski p. 63 adn.

2) Cf. Wischnewski l. l. p. 66.

3) Cf. Philol. 1909 p. 32 adn. 56.

genere protulit idem' [1]). Quomodo, quaeso, ille ita scribere potuit, nisi in fonte suo hanc lectionem invenisset!

Iam vero restat, ut viam, quam adhuc permensi sumus, respiciamus. Haec quidem sunt, quae de origine Plauti exemplorum a Prisciano adhibitorum sentio: studia atque ingenium huius grammatici mihi contemplanti nihil obstat, quin talia testimonia a Prisciano ipso ex Plauti quodam exemplari collecta esse putem. Quae opinio augetur Plautina memoria ab aliis grammaticis servata in comparationem vocata; etiamsi partem e Capri doctrina ab illo transcriptam esse sane concedendum est [2]).

Sed quocumque modo res sese habet, haud abs re videtur esse enucleare, quae ratio intercedat inter codices Plautinos nunc exstantes et locos Priscianeos, sive Priscianus sive Caper maiorem partem pretiosissimorum illorum locorum collegit.

PARS ALTERA.

Quae ratio inter locos Priscianeos et codices Plautinos intercedat, explicatur.

§ 8. Hac parte mihi proposui locis Plautinis a Prisciano laudatis cum duabus illis classibus codicum Plautinorum collocandis, quarum alteram palimpsestus Ambrosianus repraesentat, altera recensione Palatina continetur, cuius memoria non nisi per codices X. XI. XII. saeculi [3]) ad nos pervenit, inquirere, quae exempla ad A(mbrosianum), quae ad Pal(atinos), quae ad neutrum fontem sint referenda. Quam quaestionem ita instituam, ut primum eos locos percenseam, qui et Ambrosiana

1) Cf. Charis. 61, 15: Rete neutrali genere an retis masculino dicendum sit quaeritur, ut in neutrali quidem plurali numero faciat haec retia, in masculino hi retes.

2) Ceterum de paucorum quorundam testimoniorum origine nulla est dubitatio. Martinus Hertz enim in Philologo XI p. 593 sqq. (Das Adverbialverzeichnis bei Priscianus p. 1010 P., I 620 fg. Krehl) demonstravit quinque illa adverbia: amiciter, avariter, munditer, saeviter, maestiter (G. L. K. III 70, 20) a Prisciano ex Nonii libro XI de indiscretis adverbiis conscripto petita esse.

3) De codice Turnebi, qui fertur, postea agetur.

et Palatina recensione servati sunt, deinde quibus Ambrosiana, denique quibus Palatina deest.

Non omnes vero loci Prisciani ad rem nostram pertinent, sed haud parva pars est neglegenda, scilicet quae glossario Plautino continetur. Est enim haec adverbiorum secundum versuum ordinem ex singulis fabulis excerptorum tabula, quam ex satis magno numero Prisciani librorum H K Darmst. tantum codices post finem libri XIV aut XVI exhibent. Quo de glossario Plautino optime meritus est Fridericus Ritschl [1]), qui haec adverbia enarravit atque diligentissime tractavit. Hoc igitur glossarium, quod ante Prisciani tempora ortum esse Ritschl docuit, ad id quod indagare mihi proposui non spectare apparet.

Neque magis in censum veniunt ea testimonia, quae aut ad fabulas praeter Varronianas pertinent aut in libris Plautinis iniquitate temporum aut plane aut maximam partem perierunt. Sunt autem haec: Prisc. 293, 19 frg. fab. incert. v. 61; Prisc. 516, 11 frg. fab. cert. v. 51; Prisc. 280, 18 frg. fab. cert. v. 59; Prisc. 188, 26 frg. fab. cert. v. 89; Prisc. 271, 2 frg. fab. cert. v. 79; Prisc. 231, 21 frg. fab. cert. v. 92; Prisc. 522, 14 frg. fab. cert. v. 93; Prisc. 489, 17 frg. fab. cert. v. 106; Prisc. 123, 27 frg. a grammaticis servat. v. 101; Prisc. 152, 8 frg. a gramm. serv. v. 91; Prisc. 224, 1 frg. a gramm. serv. v. 96 sqq.; Prisc. 224, 6 frg. a gramm. serv. v. 99; Prisc. 226, 14 frg. a gramm. serv. v. 97; Prisc. 300, 5 frg. a gramm. serv. v. 94; Prisc. 317, 22 frg. a gramm. serv. v. 112 sq.; Prisc. 528, 21 frg. a gramm. serv. v. 103; Prisc. II 7, 25 frg. a gramm. serv. 97 sq.; Prisc. 168, 9; 321, 2 Amphitr. frg. VI; Prisc. 564, 16 Amphitr. frg. XV; Prisc. 103, 12 Cistell. v. 451; Prisc. 107, 6 Cistell. v. 377; Prisc. 111, 6; 279, 18 Cistell. v. 373; Prisc. 388, 3 Cistell. 374 sqq.; Prisc. 100, 19 (non 17; cf. Hertzium) Truc. v. 729.

Iam vero ea exempla perlustrabo, quae in libris Plautinis ad nos pervenerunt, ac primum quidem ad eos locos, quibus et recensionis Ambrosianae et Palatinae scripturae adsunt, animum attendam.

1) Cf. Opuscul. II. vol. p. 228 sq.

I. Priscianus cum utraque codicum classe prorsus concinit.

Prisc. II 67, 2 Merc. 257 'Navem — filius'; Prisc. II 421, 21 Mil. 1—4 'Curate — hostibus'; Prisc. II 70, 20 Pers. 255 'amiciter'; Prisc. 309, 2 Poenul. 1062 'Ecquid — nomina'; Prisc. 491, 20 Stich. 233 'Ut — polluceam'; Prisc. 308, 24 Trin. 656 'Ut — meum'. Quos locos cum fere ad litteram cum codicibus Plautinis congruant, proponere supersedeo. Nonnulla exempla addo, quae ut pusillis rebus a libris manuscriptis differunt, ita ad peculiarem recensionem referenda esse non videntur: Poenul. 443 sq. = Prisc. 272, 8: „Nam isti quidem hercle orationi Oedipo || Opus est coniectore, qui Sphingi interpres fuit." Recte Hertz 'coniecturae', quam vocem libri exhibent, respuit, quippe quae sensu careat. A: „Nam isti quidem herclę orationi Oedipo Opust coniectore, qui Sphingi ịnterpres fuịt." Pal.: „Nam isti quidem hercle orationi Oedipo Opus est coniectore, qui Sphingi interpres fuit." — Cas. 859 = Prisc. 370, 8[1]); 377, 17: „Libet Charinum quid agat scire novum nuptum." A: „Lubet Chalinum quid agạt sc***" Pal.: „Libet Chalinum quid agat scire novum nuptum." Illo verbo 'Charinum' non monemur, ut Prisciano peculiarem recensionem addicamus; nam facile haec levis discrepantia ita explicari potest, ut Priscianus vel lapsu oculorum erraverit vel litteram l minus clare scriptam in fonte suo invenerit[2]), nisi potius ad pronuntiationem rem pertinere censebimus. Ne id quidem momenti est, quod A genuinam Plautinam formam 'Lubet' servavit, Priscianus autem cum Pal. 'Libet' legit. — Eodem modo A hoc loco vetustiorem scripturam tradidit, ubi Priscianus et Pal.

1) Non 370, 18; cf. Hertzii indicem.

2) Et Charinus et Chalinus sunt nomina virilia Graeca, quibus Latini quoque scriptores, potissimum quidem comici utuntur; cf. Forcell. onomast. Etiam 'Charinum' apud Plautum habes; est enim persona in Mercatore, sicut apud Terentium in Andria. — Ceterum cf. Ernestum Weissbrodt in Comment. Philol. Ienens. VI 2, 1899, p. 145 sqq.: De R et L consonantium latinarum mutua ratione praecipue e glossariis latinis illustranda.

plerique formam suis temporibus usitatam exhibent: Poenul. 981 = Prisc. 139, 7: „quia incedunt cum anulatis auribus." Pal.: „quia incedunt cum anulatis auribus." A: „quia incedunt quom anulatis auribus." — Deinde duo testimonia sequuntur, quae quidem singulis vocibus omissis a Plautinis duobus illis libris differunt, tamen tertio fonti adscribenda esse non videntur[1]). Menaechm. 527 = Prisc. 151, 9: † „Iubeas spinter novum reconcinnarier." A: „Iubeasque —." Pal.: „Iubeasque spinter novum reconcinnarier." — Cistell. 512 = Prisc. 62, 9: „At ita me di deaeque superi † inferi et medioximi." A et Pal.: „At ita me di deaeque superi atque inferi et medioxumi." — Denique hosce locos asseram: Pseud. 817 = Prisc. 205, 2: „Teritur senapis scelera[2]), cum illis qui terunt, || Priusquam triverunt, oculi ut extillent facit." In libris Palatinis alterius versus hae lectiones paenultimae vocis occurrunt: 'extilient' (B) 'exilient' (C D^1) 'exiliant' (D^3). In archetypo 'extillent' exstitisse apparet, quo ex verbo corruptelae illae codicum lapsu calamorum quin profectae sint, non est dubitandum. A: „Teritur sinapim scelera q. illis qui terunt || Priusquam triveront oculis ut extil**nt facit." Ne hanc scripturam quidem peculiarem recensionem exhibere censeo; potius nihil nisi error scribae statuendus videtur esse. — Epid. 640 = Prisc. 112, 14; 113, 15: „lunulam atque anellum aureolum." Pal.: „iunulam atque anellum aureolum." A: „l(vel i)unulam atq. anelluṃ aureolum." Illas scripturas 'iunulam' codicis B, 'innullam' codicis I, 'tunulam' codices E^1 librarii lapsu ex voce 'lunulam' ortas esse pro certo habeo.

1) Ceterum videtur mihi monendum esse, ne ob eiusmodi parva peccata Prisciani fidem accusemus; nam aut fallor aut, qualis accuratio in locis citandis nostros philologos decet, apud homines illius tempestatis non est requirenda.

2) Quamquam plerique codices (R A D H) 'scelerata' exhibent, tamen Hertzium secutus 'scelera' lego nisus codd. r L, qui vetustiores esse videntur quam A D H. Accedit quod facile est intellectu posteriores librarios verbum usu tritum 'scelerata' in locum minus usitati 'scelera supposuisse.

II. Prisciani memoria et Ambrosiana a Palatina scriptura discedit.

a) Priscianus cum A accurate facit: Casin. 837 = Prisc. 102, 17: „Meum corculum melculum verculum.“ A: „Meum corculum melculum verculum.“ Pal.: „Meum corculum melliculum verculum.“ Ne quis cogitet formam ‘melliculum’ Palatinorum esse depravatam, admonendum est ‘melliculum’ rectam vocem latinam esse. Forma ‘melculum’ praeter hos locos Prisciani atque palimpsesti, ni fallor, non nisi apud Macrob. Sat. II 4, 12 in rasura codicis P invenitur. — Casin. 840 = Prisc. 330, 13: „Tene hanc lampadem. — Immo ego hanc tenebo.“ A eadem; Pal.: „Tene hanc lampadem. — Immo ego iam tenebo.“ — Merc. 509 = Prisc. 270, 11: „Nec pecua ruri pascere nec pueros nutricare.“ A: „Nec pecua ruri pascere nec pueros nutricare.“ Pal.: „Nec peculia ruri pascere nec pueros nutricare.“ — Poenul. 1286 = Prisc. 109, 6: „Sic dedero, e militari tetigero lenunculum.“ Hertz pro ‘e’ ‘aere’ scribi voluit; sed cum omnibus codicibus inter se congruentibus retinebimus scripturam ‘e’, nixi miro consensu cum palimpsesti scriptura. A: „Sic dedero e militari tetigero lenunculum.“ Pal.: „Sic dedero aere militari tetigero lenunculum.“ — Pseud. 738 = Prisc. 139, 11: „manuleatam tunicam habere hominem addecet.“ A: „manuleatam tunicam habere hominem addecet.“ Pal.: „manuleatam tunicam habere hominem decet.“ — Stich. 392 = Prisc. 533, 13: „Praecucurri ut nuntiarem nuntium exoptabilem.“ A: „Praecucurri ut nuntiarem nuntium exoptabilem.“ Pal.: „Praecucurri ut nuntiarem nuntium obtabilem.“

b) Priscianus cum A minus accurate consentit: Truc. 120sq. = Prisc. II 422,19[1]: „pessima, mane. || optime, odio es.“ A: „pessima mane || optime odio est.“ Pal.: „pessimam Anel || optume odiosus es.“ Ex monstro ‘Anel’, quod in BCD codicibus invenitur, littera l exstirpanda ‘mane’ esse restituendum iam monuit Fridericus Schoell[2]) mirae rei hanc explicationem afferens: sermonum

1) Non 422, 19; cf. Hertzii indicem.

2) Cf. praefat. Truc. ed. 1881 p. XXXIV.

interstitia olim in archetypo Pal. per lineolam esse significata, quam pro i l t litteris librarius sumpserit. — Truc. 196 = Prisc. 256, 3: „Horresco miseram mentionem, quotiens fit partionis.“ A: „Horresco misera mentio quotiens fit partionis.“ Pal.: „Horrisco misera sentio quod diis fit parationis.“ Ut hic quoque locus ad A revocetur, fieri potest; neque enim stolidum esse mihi quidem videtur conicere illud ‘miseram mentionem’ Prisciani, quod per se sensu minime caret, ex palimpsesto ita profectum esse, ut librarius quidam ‘miseramentio’ scriptura continua coniunctum in ‘miseram mentio’ discripserit, qua ex lectione ‘miseram mentionem’ factum sit. Palatinorum illa vitiata verba ‘quod diis’ non tam posterioribus saeculis quam sane antiquis temporibus tribuenda videntur; Nonio Marcello enim iam hanc depravatam lectionem ante oculos fuisse verisimile est, cum codices eius sic habeant (Non. 217, 35 M): horresco misera, mentio quod fit partionis[1]).

III. Priscianus ab Ambrosiana recensione abhorret, cum Palatina conspirat.

a) Priscianus cum Pal. accurate congruit: Cistell. 514 sq. = Prisc. 322, 5: „Itaque me Saturnus eius patruus. — Et Castor pater! || Itaque me Ops opulenta illius avia. — Immo mater quidem.“ Pal.: „Itaque me Saturnus patruus eius et Castor pater, || Itaque me Ops opulenta illius avia. — Immo mater quidem.“ A: „Itaque me Saturnus eius patruus et summus pater, || Itaque me Ops opulenta, illius avia immo mater quidem.“ Quod id attinet quod Pal. BVEI verba ‘eius patruus’ inverso ordine exhibent, non est, cur Prisciani memoria ad aliam recensionem referatur; nam Carolus Reblin[2]) recte admonuit non sane raro traiectiones verborum inveniri, quibus libri Palatini inter se discrepent. — Pers. 522 = Prisc. 99,

1) Si Nonius Marcellus et Priscianus illud testimonium ex Capro exscripsissent, sicut quibusdam viris doctis probatur — cf. e. g. Wischneswki l. l. p. 70 sq. — prorsus miranda res esset, quod hic cum A: ‘quotiens’, ille cum Pal. ‘quod (diis)’ consentit.

2) Cf. Reblin l. l. p. 14 sq.

20: „Fortivam adductam ex Arabia penitissima." Pal.: „Furtivam adductam ex Arabia penitissima." A: „Furtivam abductam ex Ara ****** itissuma." — Stich. 492 sq. = Prisc. 338, 11; 587, 7: „Ergo oratores populi summates viri || Summi accubent, ego infimatis infimus." Lectio Hertziana priore loco tribus (G L K) codicibus, altero uno (G) tantum codice fulcitur, cum ceteri 'accumbent' tradant. Qua de causa hos duos Prisciani locos cum Palatina classi facere mihi quidem probatur, quae eadem testatur 'accumbent'. A: „Ergo oratores populi summates viri || Summi incubabunt, ego infimatis infimus."

b) Priscianus cum Pal. minus accurate consentit: Poenul. 470 sq. = Prisc. 109, 9: „ita ut occepi dicere || Lenulle, de illa pugna." Pal.: „ita ut occepi dicere || Lenulle, de illac pugna." In libris B C D verbum 'Lenulle' valde deformatum est ('Lenuite' vel 'Lennutte'), ut ex eorum testimoniis, quid in Palatino archetypo exstiterit, cognosci nequeat. Quo magis gaudendum est, quod obscurae rei lucem affert Adrianus Turnebus, cum ad hunc versum testetur se in vetustissimo suo codice 'lenulle' invenisse. Hic codex, qui littera T significatur, quod periit, maxime est dolendum; sed eum ex recensione Palatina manasse et praestantiorem B C D libris fuisse e reliquiis, quas Turnebus adnotavit, cognoscitur. Quo de libro cognoscendo praeter alios viros doctos optime meruit Lindsay, cuius e multis disputationibus hanc laudo: The codex Turnebi of Plautus, Oxon. 1898. Quae cum ita sint, propter verbum 'Lenulle' Prisciani memoria a Palatina classi abiudicanda non est. Sed pro Prisciani de 'illa' Pal. de 'illac' exhibent, quae est forma prisca [1]). Ut ne Ambrosianus quidem illud 'c' servavit, ita ei exiguae discrepantiae momentum tribuendum esse non censeo, quod putare licet grammaticum illud suffixum 'c' utpote suis temporibus absoletum neglexisse. Cum vero Priscianus hic cum palimpsesto congruat, discrepat in verbo 'lenulle'. Hanc enim lectionem vitiosam offert A: „ita ut occepi dicere || Lenullo de illa pugna."

1) Cf. Kuehner l. l. I p. 396.

IV. Priscianus nec cum Ambrosiana recensione nec cum Palatina conspirat.

Ac primum quidem tres locos afferam, ubi Prisciani lectiones interpolationes, quas nominare solemus, et glossemata prae se ferunt. Men. 476 = Prisc. 483, 18 [1]): „Prandi et potavi, scortum accubui". 'et' neque in A neque in Pal. traditum est. — Mostell. 656 = Prisc. 99, 17; II 67, 8: „Ita mea consilia pervortit paenissime." A: „Ita mea consilia per****** p***** ume." Pal.: „Ita mea consilia perturbat plenissime." — Pseud. 178 = Prisc. 170, 14: „Nisi mihi annuus penus hic ab amatoribus congeratur [2]) || Cras populo prostituam vos, o puellae." A: „Nam nisi mihi pe(nus annu)us hod(ie co)nuenit cras po —" Pal.: „Nam nisi penus annuus hodie conuenit, cras populo prostituam vos." Sequantur haec: Capt. 920 = Prisc. 170, 19: „Dicam seni curet sibi aliud penus." A: „Dicam penum alibi adornet" (ut videtur). Pal.: „Dicam ut sibi penum aliud ornet." — Casin. 702 s. = Prisc. 104, 9: „ut nubat mihi, || Illud quidem volebam: nostro vilico. — † Saepiuscule peccas." A: „Ut nubat mihi illud quidem dicere volebam: nost ** vil ****** p**u** peccas." Pal.: „Ut nubat mihi illud quidem volebam non sed nostro vilico. — saepicule peccas." Quamquam Georges in lexico sub eo lemmate dicit formam 'saepiuscule' non nisi apud Priscianum obviam fieri, tamen illa suspicio, nempe hanc ex 'saepicule' voce Pal. tradita, quae est recta et vulgaris forma diminutiva, corruptam esse, abicienda est; id quod confirmatur glossario Plautino, in quo eodem 'saepiuscule' traditur, ita ut concludere liceat Priscianum et illum glossatorem, ut ita dicam, Plautinum ex eodem fonte hausisse [3]). Etiam in codice A 'saepicule' exstitisse videtur. — Mil. 148 = Prisc. 200, 11: „Glaucumam ob oculos obiciemus eumque ita || Faciemus, ut quod viderit ne videat." Pro Prisciani praestantiore particula 'ne' Plauti libris 'non' traditur. A: „Glaucumam ob oculos ic(ie)mus eumq. ita || Faciemus ut quod viderit non viderit." Pal.:

1) Non 482, 18; cf. Hertzii indicem.

2) Eundem versum Priscianus offert 260, 18: „Nisi mihi annuus penus ab amatoribus congeratur."

3) Cf. Ritschl opusc. II p. 245 sq.

„Glaucuma ob oculos obitiemus eumque ita || Faciemus ut quod viderit non viderit." — Mil. 1413 = Prisc. 102, 11: „Si te salvum hinc amittimus Venerium nepotulum." A: „Si te salvom hinc mittemus Venerium nepotulum." Pal.: „Si te salvum hinc mittimus Venerium nepotulum." — Poenul. 356 = Prisc. 206, 4: „Quam mare olim est, cum ibi alcedo pullos educit suos." A: „Quam mare olimst, cum ibi alcyo pullos educit suos." Pal.: „Quam mare olim est, cum alcyo pullos seducit suos." De voce alcedo docet nos Varro[1]): „Item alia in hoc genere a Graecis ut querquedula, cerceris, alcedo, quod ea ἀλκυών"; — „haec enim avis graece dicitur ἀλκυών, nostri nunc alcedo"; et Festus Pauli[2]): „alcedo dicebatur ab antiquis pro alcyone." Elucet igitur in palimpsesti et Palatinorum lectiones glossema, quod dicitur, invasisse, quo Priscianus caret. — Poenul. 993 sq. = Prisc. 595, 14; II 122, 16[3]): „Quid sit, cuiatis, unde sit, ne parseris. — || Quid est, cuiates estis? aut quo ex oppido?" A: „Quei sit quoia(ti)s un . . s (incert) . . . . . parserit. || Avo quoiatis estis unde sit ne (parse)rit." Scribam errore in versum proximum relapsum esse apertum est; cf. apparatum criticum huius loci. Pal.: „Qui sit quo patis unde sit ne parleris. || Avo quo lates estis aut quo ex oppido?" — Pseud. 10 = Prisc. 471, 3: „Gestas tabellas † eas lacrimis lavis." A: „Gestas tabellas tecum eas lacrumis lavis." Pal.: „Gestas tabellas tecum eas lacrimis lavis." Ne opinemur verbum tecum errore apud Priscianum excidisse monet Diomedes, qui idem hunc versum laudans illud 'tecum' omisit[4]). Versus ex Capro adscitus esse videtur. — Pseud. 1068 = Prisc. 588, 7 sq.: „Minae viginti salvae et sanae sunt tibi || Hodie quas abs te est instipulatus Pseudulus." A: „Minae viginti sanae et salvae sunt tibi || Hodie quas aps te est stipulatus Pseudolus." Pal.: „Minae viginti sanae et salvae sunt tibi || Hodie quas abs te inde est instipulatus Pseudolus." — Rud. 582 = Prisc. 235, 7: „Tu vel suda vel peri algu vel etiam aegrota vel vale."

1) Cf. Varro de lingua latina ed. Spengel 1885, V 79; VII 88.
2) Cf. Festum Pauli ed. Mueller 7, 16.
3) Non II 120, 16; cf. Hertzii indicem.
4) Cf. Gr. L. K. I 381, 13.

A et Pal.: „Tu vel suda vel peri algu vel tu aegrota vel vale." — Truc. 303 sq. = Prisc. 189, 12: „Quid maceria illa ait, in horto quae est quae in noctes singulas || Latere fit minor, qua is hoc ad vos damni permensus viam est? || Nil mirum, vetus est maceria, veteres si lateres ruunt. — || Ain tu . . . . veteres lateres ruere?" A: Quid maceria illa ait in horto quae est quae in noctes singulas || Latere fit minor qua is aput vos damnis permensust viā — || Nihil mirum etus est maceria lateres si veteres ruunt || Ain tu vero veteres lateres rure." Pal.: „Qui in maceria aut in horto quae est quae in noctes singulas || Lateri fit minor qua isti vos damni permensus tuam || Non mirum vetus est macere lateres si veteres ruunt. || Ain tu male lateres veteres uere."

Illorum exemplorum scripturae, quae paginis modo absolutis amplexus sum, a Plauti libris manuscriptis adeo differunt, ut ad neutram codicum classem referri possint, sed peculiari fonti sint adscribenda eique tali, qui ad A codicem propius accedat quam ad Palatinos; neque enim plurima exempla inter Priscianum et Palatinorum memoriam maiorem dissensionem prae se ferre quemquam fugiet.

§ 9. Ei loci tractabuntur, quibus A deficit.

I. Priscianus et Palatini inter se consentiunt:

a) accurate: Prisc. II 421, 26 Amphitr. 1 ss. 'ut — omnibus'; Prisc. II 422, 3 Amphitr. 153 ss. 'qui — compegerint'; Prisc. 257, 7 Amphitr. 513 'Quam — locus'; Prisc. 560, 16 Amphitr. 900 'Inimicos — optuerier'; Prisc. 99, 23 Asin. 40 'Etiamne — faucibus'; Prisc. 560, 19 Asin. 859 'Madidum — suae'; Prisc. 210, 3 Aul. 555 'Quos — addidit'; Prisc. II 74, 12 Capt. 338 sq. 'ausculta — redierit'; Prisc. II 76, 1 Capt. 368 'utroquevorsum — meum'; Prisc. 96, 3 Capt. 718 'Recens — novicium'; Prisc. 258, 23 Capt. 826 'tantus — cibus'; Prisc. 229, 16 Casin. 334 'Repente — Ioves'; Prisc. 301, 4 Curc. 75 'Cedo — scies'; Prisc. 263, 4 Curc. 82 'hic — fertur'; Prisc. II 70, 20 Curc. 127 'avariter'; Prisc. 252, 8 Epid. 35 ss. 'tum — filiae'; Prisc. 86, 24 Epid. 446 ss. 'Nam — sordidae'; Prisc. 309, 4 Men. 134 'Averti — socium';

Prisc. 262, 5 Men. 855 'Ita — comminuam'; Prisc. 79, 18 Men. 888 'Atque — gradum'; Prisc. 212, 6 Men. 1089 'Neque — similius'; Prisc. 229, 2 Merc. 929 'quin — sinis'; Prisc. 444, 19; 480, 11 Mostell. 42 'Non — exotica'; Prisc. 114, 7 Mostell. 248: 'Cedo — arculam'; Prisc. 138, 27 Mostell. 1101 'Nescis — iudicem'; Prisc. 224, 12 Pers. 110 'memini — calefierent'; Prisc. II 70, 20 Poenul. 235 'munditer'; Prisc. 105, 8 Poenul. 236 'Vix — invenimus'; Prisc. II 71, 1 Poenul. 335 'saeviter'; Prisc. 162, 7 Rud. 107 'Virile — habui'; Prisc. II 71, 1 Rud. 265 'maestiter'; Prisc. 329, 21 Rud. 633 'seu — magudarim'; Prisc. 500, 10 Rud. 899 'Pol — domi'; Prisc. 270, 15 Rud. 942 'Non — pecu'; Prisc. 332, 17 Rud. 984 'Ubi — extraho'; Prisc. 332, 12 Rud. 1020 'Mea — horea'; Prisc. 105, 19 Rud. 1158 'Post — ancipes'; Prisc. 108, 12 Rud. 1325 'curculiunculos — fabulare'; Prisc. 293, 16 Stich. 567 'Ego — filiis'.

b) Minus accurate consentiunt: Amphitr. 116 sq. = Prisc. 199, 17: „Nunc ne hunc ornatum vos meum admiremini | Quod ego huc processi sic cum servili schema.“ Hanc scripturam Martini Hertz „hunc ornatum“ probare nequeo, sed mihi sequendus esse videtur consensus omnium codicum, quibus illa verba permutato ordine traduntur. Etsi vero Priscianus „ornatum hunc“ scripsit, tamen propter eam collocationem verborum grammatici memoria ad aliam recensionem revocanda non est. — Haud aliter mihi iudicandum videtur esse de his quinque exemplis, quae eadem nulla re nisi collocatione verborum a libris differunt: Aulul. 2 = Prisc. 223, 15: „Ego sum Lar familiaris.“ Pal.: „Ego Lar sum familiaris.“ Bacch. 379 = Prisc. 421, 2; 560, 28: „Neque mei neque te tui intus puditum est factis quae facis.“ Hic grammaticus, cum priore loco cum Palatinis ad litteram conspiret, posteriore ordinem verborum 'te' et 'tui' invertit. — Capt. 855 = Prisc. 258, 15: „Proin tui tu cotidiani victi ventrem ad me adferas.“ Pal.: „Proin tu tui cotidiani victi ventrem ad me afferas.“ — Curc. 506 = Prisc. II 10, 16: „Eodem hercle vos † paro et pono, parissimi estis hibus.“ Pal.: „Eodem hercle vos pono et paro, parissimi estis hibus.“ — Truc. 956 = Prisc. 270, 13: „Pecua ad hanc collo in crumina ego obligata defero.“ Pal.: „Pecua ad hanc collo ego in crumina obligata defero.“ — Porro Menaechm. 341 = Prisc. II 122, 19: „Rogitant cuitatis sit [aut quo ex oppido]“ [1]). Verba uncis circumclusa non a Prisciano ipso profecta esse, sed a librario, qui in antecedentem Poenuli versum 994 aberravit, falso huc interpolata esse et ab Hertzio et ab aliis viris doctis intellectum est. Itaque id testimonium ad Pal. pertinere non est cur negemus, ubi haec forma occurrit: „Rogitant cuiatis sit, quid ei nomen siet.“ — Pseud. 746 = Prisc. 505, 7: „ecquid argutus † es?“ sic Hertz, quamquam 'est' libri; quae forma prorsus concinit cum Pal.: „ecquid argutus est.“ — Denique non certum quidem, sed verisimillimum mihi videtur Prisciani memoriam a libris Palatinis non alienam esse hisce locis: Mostell. 1041 = Prisc. 204, 14: „Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit.“ Pal.: „Qui homo timidus erit in rebus dubiis is nauci non erit.“ — Pseud. 746 = Prisc. 505, 2: „argutus malorum facinorum.“ Pal.: „argutus est — Malorum facinorum.“ — Rud. 1170 = Prisc. 108, 2: „Sucula — Quin tu dierecta cum sucula et porculis.“ Pal.: „Et sucula. Quin tu i dierecta cum sucula et cum porculis.“ — Truc. 292 sq. = Prisc. 227, 17; 266, 13: „quasi vero corpori reliqueris ‖ † potestatem coloris ulli capiendi, mala“; Pal.: „quasi vero corpori reliqueris ‖ Tuo potestatem coloris ulli capiendi, mala.“ Quod apud Priscianum singulae voces interciderunt, vel casui vel grammatico ipsi vel eius fonti adscribendum est; neque tamen illis locis de peculiari recensione cogitandum esse puto.

II. Priscianus a Palatinis abhorret:

a) Inter Priscianum et Palatinos minores discrepantiae intercedunt: Aulul. 566 = Prisc. 50, 12: „Ita † pellucet quasi lanterna Punica.“ Pal.: „Ita is perlucet quasi lanterna Punica.“ — Asin. 746 ss. = Prisc. 50, 7: „Agedum istum ostende quem † conscripsisti syngraphum ‖ Inter me et amicam et lenam, leges pellege! ‖ Nam tu poeta es prorsus ad eam rem unicus.“ Pal. 'perlege' exhibent. Quae quamvis exiguae discrepantiae propterea non sunt neglegendae, quod

1) Cf. p. 48.

Priscianus ll. ll. diserte indicat: 'pelluceo pro perluceo', 'pellego pro perlego'. Aulul. 304 sq. = Prisc. 155, 8: „Etiamne obturat inferiorem gutturem, || Ne quid anima forte amittat dormiens?“ Pal.: „Etiamne obturat inferiorem gutturem || Nequid animae forte amittat dormiens.“ — Aulul. 800 = Prisc. 38, 2: „I intro exquaere, sitne ita ut ego praedico.“ Pro recomposita, ut dicere solemus, forma usitatam testantur Pal.: „I intro exquire, sitne ita ut ego praedico.“ — Bacch. 1150 = Prisc. 97, 10; 264, 18: „Senem † tibi dedo illum veteriorem lepide ut lenitum reddas.“ Pal.: „Illum tibi dedo ulteriorem lepide ut lenitum reddas.“ Putare paene potuimus alteram scripturam ita ex altera profectam esse, ut Priscianus litteras VLT pro VET sumpserit; quae tamen opinio propterea est reicienda, quod grammaticus hoc loco adiectivum 'veter veterior' in lemmate habet. — Capt. 815 = Prisc. 31, 19[1]): „Quorum odos subbasilicanos omnes adegit in forum.“ Pal.: „Quorum odos subbasilicanos omnes abegit in forum.“ — Casin. 380 = Prisc. 320, 7: „Vide ne qua illic insit alia sortis sub aqua.“ Pal.: „Vide ne qua illic insit alias oris (vel alia sors) sub aqua.“ — Curc. 10 = Prisc. 107, 13: „Ego † nam apicularum opera congestum non feram?“ Pal.: „Egon apicularum opera congestum non feram?“ — Casin. 384 = Prisc. 76, 2: „Sed manedum, num ista (istaec codd!) aut populna sors aut abiegna est tua?“ Pal.: „Sed ne dum num (vel ne dum inum vel ne dum n͠c) ista aut populna sors aut abiegnast tua.“ Simili modo Palatinorum lectiones corruptae sunt hoc loco: Casin. 493 = Prisc. 108, 19: „Emito sepiolas, † lepidas, loligunculas.“ Extremam vocem huius versus iam in archetypo Pal. corruptam fuisse ex formis monstruosis in libris exstantibus concludendum videtur esse: lolligiungas (BVE), lingunculas (I). Sin autem illa vox in archetypo integra fuerit et posterioribus demum temporibus deformata sit, hoc exemplum Prisciani a Palatina recensione abrogare nolim. — Haud certius de duorum, qui restant, locorum ratione iudicare possum, cum in dubio relinquam, utrum istae corruptelae iam in archetypum Palatinum

1) Non. 51, 19; cf. H e r t z i i indicem.

irrepserint an demum in libros, qui ad illum redeunt. Poenul. 991 = Prisc. 84, 7: „Nullus me est hodie Punus Punior.“ Pal.: „Nullus me est hodie denus Punior.“ — Trucul. 611 Prisc. 204, 16: „tympanotribam amas, hominem non nauci.“ Pal.: „lymphanotribam amas, hominem non nauci.“

b) Inter Priscianum et Palatinos maiores discrepantiae intercedunt. Ac primum quidem quattuor locos in medium voco, qui quamquam ob scripturam singularum vocum a Palatina recensione abiudicandi non sunt, tamen metricis de causis alium fontem redolent. Prisciani ipsius verba sunt haec (II 422, 10): „utitur tamen in hac ipsa scena et dimetris brachycatalectis, id est a tribus simplicibus pedibus, ut (Amphitr. 161): i t a p e r e g r e a d v e n i e n s; similiter (Amphitr. 163b 164): q u i h o c n o c t i s a p o r t u: vel dimetris catalectis, id est quibus una desit syllaba, ut (Amphitr. 164): i n g r a t i s e x c i t a v i t: vel dimetris hypercatalectis, id est quibus una abundat syllaba, ut in eadem (Amphitr. 161, 162): h o s p i t i o p u b l i c i t u s a c c i p i a r.“ Contra Palatini aliam legem numerorum secuti binos locos Priscianeos singulis versibus comprehendunt: Amphitr. 161 sq.: „Ita peregre adveniens hospitio publicitus accipiar.“ Amphitr. 163 b sq.: „Coegit me, qui hoc noctis a portu me ingratis excitavit.“

Cum proxima paragrapho cognoverimus Prisciani et palimpsesti memoriam vinculo quodam cognationis contineri, de sequentibus locis, si nullus alius vetus grammaticus accedit, suspicari licet Priscianum interdum Ambrosianam vel eius similem scripturam praebere. Aulul. 170 = Prisc. II 9, 2: „Dic mihi, si audes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?“ Pal.: „Dic mihi, quaeso, quis ea est, quam vis ducere uxorem?“ — Aulul. 385 = Prisc. 104, 1: „Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas.“ Pal.: „Nunc tusculum emi et hasce coronas floreas.“ — Aulul. 722 = Prisc. 258, 17: „Tantum gemiti et malae maestitiae mihi hic dies obtulit, || famem et pauperiem.“ Pal.: „Tantum gemitte et mali maestitiae hic dies mihi optulit famem et pauperiem.“ Quod exemplum Nonius quoque (487, 21) laudat, facit tamen cum Palatinis 'mali' scribens. — Cistell. 1. Prisc.

529, 15: „Cum ego te amavi, mea Antiphila, et mihi amicam esse crevi." Pal.: „Cum ego antehac te amavi et mihi amicam esse crevi." Ne huius quidem Prisciani loci lectio alibi invenitur; nam Varro de l. l. VII 98 eiusdem versus offert hanc scripturam: „quia ego antehac te amavi." — Capt. 764 sq. = Prisc. 207, 7: „neminis misereri certum, quia mei miseret nemo." Pal.: „neminis misereri certum est, quia mei miseret neminem." Hoc est exemplum a grammaticis decantatum, qui tamen universi Palatinos sequuntur: Non. 143, 14: „neminis me miseret; nam mei miseret neminem." Charis. 159, 33 et Diomedes 333, 33 et excerptor qui dicitur Charisii artis grammaticae 561, 17 cum Pal. verbo tenus conspirant. Ceterum monendum est consecutionem vocum: 'mei miseret nemo' per se ferri posse, e. g. Lucretius III 881: „Ipse sui miseret"[1]. — Curc. 109 = Prisc. II 75, 12: „Sine ductim, sed haec abiit, hac persequar." Pal.: „sino doctim, sed hac abiit, hac persequar." — Curc. 159 sq. = Prisc. 113, 20: „Ne quae hic agimus erus perspiciet fieri, mea Planesium. || Mane suffundam aquulam." Pal.: „Ne quod hic agimus erus percipiat fieri, mea Planesium. || Mane suffundam aquulam." Menaechm. 683 = Prisc. 151, 11: „Mihi tu dederis pallam et spinter? numquam factum reperies." Pal.: „Mihi tu ut (vel ut tu) dederis pallam et spinter? numquam factum relegeris (vel releceris)." — Menaechm. 748 = Prisc. 239, 11: „Novistin illum? Novi cum Calcha simul." Pal.: „Novistin tu illum? Novi cum Calchante simul." Conferendus est Charis. 66, 21: „quamvis antiqui ut Pacuvius et Plautus, Calcham dicant, non Calchantem"; quamquam exemplum non posuit. — Menaechm. 854 = Prisc. 216, 14: „Barbatum, tremulum Titanum qui lucet Cygno patre." Pal.: „Barbatum tremulum titanum qui cluet cycno prognatum." — Merc. 930 = Prisc. 301, 2: „Egomet me moror; tu puere, abi hinc intro ocius." Sic recte Hertz, quamquam libris omnibus 'egomet memor' traditum est. Quam lectionem merum per lapsum calami corruptam esse ex 'egomet me moror' mihi persuasum est; neque enim ullo modo 'memor' hoc in versu

1) Cf. Kuehner l. l. II p. 342, 9.

locum habere potest et verbum, quod imperativo 'abi' opponatur, ratiocinatione flagitatur. Aliena est scriptura Pal.: „Ego me moror; tu puere, abi hinc intro ocius." — Mil. 1059 = Prisc. 148, 24: „verri affertur merces, || Non hic suo seminio quemquam † procule nam impertiturus est." Pal.: „verriant fertur (vel tu B) merces, || Non hic suo seminio quemquam proculem impertiturust." Mostell. 308 = Prisc. 114, 9: „Age accumbe igitur, cedo aquam manibus, puere, appone hic mensulam." Pal.: „Age accumbe igitur, cedo aquam manibus, puer, appone hic mensam." — Pers. 463 = Prisc. 200, 3: „Theatrum lepida condecorat schema." Pal.: „Tiara ornatum lepide condecorat tuum." — Rud. 155 = Prisc. 109, 1: „Homunculi quanti estis, eiecti ut natant." Pal.: „Homunculi quanti estis, electi ut narrant." — Rud. 176 = Prisc. II 75, 19: „Sed dextrovorsum aversa est in malam crucem." Pal.: „Sed dextro vorsum aversa it in malam crucem." — Rud. 598 sq. = Prisc. 79, 20: „Ad hirundininum nidum visa est mihi simia, || Ascensionem ut faceret, adoririer." Pal.: „At hirundininum nidum visa est simia || Ascensionem ut faceret, admolirier." — Rud. 888 = Prisc. 150, 10: „Nam in columbari collus haud multum post erit." Pal.: „Nam in columbari collum haud multo post erit." — Rud. 899 sqq. = Prisc. 332, 19: „Pol magis sapiuisset, si dormisset domi. || Nam nunc et operam ludos facit et retiam, || Ut tempestas est." Pal.: „Pol magis sapisset, si dormiuisset domi. || Nam nunc et operam ludos dat et retia || Ubi tempestas est." — Rud. 942 = Prisc. 332, 14: „Non vides proferre me uvidum retem sine squamoso pecu?"[1] Pal.: „Non vides referre me uvidum rete sine squamoso pecu?" Idem versus apud Nonium[2] 158, 31 et Charisium 141, 11 obviam fit, qui uterque cum Palatinis ad litteram congruit. — Rud. 979 sqq. = Prisc. 332, 1: „Quippe quom extemplo in macellum piscis prolatit si essent, || Nemo emat, suam quisque partem piscium poscant sibi, || Dicant in mare communi captos." Pal.:

1) Cf. p. 39.

2) Cf. Non. Marc. ed. Lindsay. — L. Mueller duce Prisciano 'retem' scribit.

„Quippe cum extemplo in macellum pisces prolati sient || Nemo emat suam quisque partem piscium poscat sibi || Dicant in mari communi captos.“ Quem locum Priscianus exemplo affert, ut doceat vestustissimos ablativum nominis ‘mare’ in ‘e’ quoque desinentem protulisse. Qua de causa eam quamvis exiguam dissensionem casui dandam esse non arbitror. — Rud. 1158 = Prisc. 280, 20: „Post altrinsecus est securicula ancipes, itidem aurea.“ Pal.: „Post altrinsecus est securicula ancipes item aurea.“ Charisius 120, 15 ut idem testimonium laudat, ita ultimam huius versus partem omittit. — Rud. 1381 sq. = Prisc. 388, 10: „Ni dolo malo instipulatus sis sive etiamdum siem. || Quinque et viginti annos natus.“ Pal.: „Ni dolo malo instipulatus sis nive etiamdum siem. || Quinque et viginti natus annos.“ — Trinum. 988 sq. = Prisc. 84, 9: „ergon ipsus est? Ipsissimus. || Abhinc ab oculis?“ Pal.: „ergo ipsusne es? Ipsissimus. || abhinc ab oculis?“ Truc. 1 ss. = Prisc. II 421, 13: „perparvam partem postulat Plautus loci || de vestris magnis atque amoenis moenibus, || Athenas quo sine archetectis conferat.“ Pal.: „Perparvam artem postulat plaudi locu || Deum eris magnis atque amoenis moenibus | Athenas quo sine arcus pletis conferat.“ Truc. 22 sqq. = Prisc. II 421, 17 [1]): „Non omnis aetas ad perdiscendum sat est || Amanti, dum hic perdiscat, quot pereat modis. || Neque eam rationem ea ipsa umquam edocuit Venus.“ Pal.: „Non omnis aetas ad perdiscendum sat est || Nam antidum id perdiscat, ad quod pereat motus || Neque ea ratione me absq. se umquam educet Venus.“ Varro de l. l. VI 11 primum tantum versum offert. — Truc. 95 sqq. = Prisc. II 425, 27 [2]): „Ad fores auscultate atque adservate aedes, || Nequis adventor gravior abeat quam adveniat, || Neu quis manus attulerit sterilis intro ad nos, || Gravidas fores exportet: || Novi ego hominum mores.“ Pal.: „Ad fores auscultate atque adservas aedis || Nequis adventor gravior abeat quam adveniat || Neu qui manus attulerit steriles intro ad nos || Gravidas foras exortet: || Novi ego hominum mores.“

1) Non 421, 17; cf. Hertzii indicem.
2) Non 425, 27; cf. Hertzii indicem.

§ 10. Trium exemplorum quorum recensionis Palatinae scripturae desunt, duo cum A consentiunt, unum ad aliam recensionem spectat. Cistell. 308 = Prisc. 114, 4: „Adhinnire equulam possum ego hanc, si detur sola soli.“ A.: „Adhinnire equolam possum ego hanc, si detur sola soli.“ — Cistell. 451 = Prisc. 105, 10: „germana mea sororcula.“ Ut A codicis scriptura ad litteram dignosci nequit, ita eam a Prisciano haud alienam fuisse e vestigiis concludere licet. — Cistell. 408 = Prisc. 103, 20: „Cum extortis talis, cum todinis crusculis.“ A: „Cum exteritis ta (isc) um todellis cruribus.“ Conferenda sunt testimonia apud Festum et Paulum, quae voce ‘todinis’ a Prisciano abhorrent. Festus 301, 26: „(Cum extortis) talis cum sodellis cr(usculis).“ 352, 20: „(Cum extor)tis talis cum todillis cru(sculis).“ Paulus 52, 20: „extortis talis cum crocotillis crusculis.“ 353, 2: „cum extortis talis cum todillis crusculis.“

§ 11. Omnibus exemplis tractatis brevi comprehendantur, quae de ratione, quae inter Prisciani memoriam et Plautinos codices, item inter Priscianum et Caprum intercedat, censeam. Si locos Priscianeos iterum animo perlustrabimus, cognoscemus illorum, qui et A et Pal. ad nos pervenerunt, 15 cum utraque classe concinere, 8 cum A facere discedentibus Palatinis, 5 cum Palatinis congruere, ubi A dissentit, 16 neque cum A neque cum Palatinis conspirare. Deinde apparet illorum exemplorum, quibus A deficit, 54 cum Palatinis consentire, 44 aliam exhibere scripturam. Quorum in locorum certe parte aliqua Priscianus perditas A lectiones repraesentare videtur; id quod de singulis tamen sponderi nequit, cum et antea cognoverimus Priscianum 17 locis scripturas a palimpsesto alienas tradere et illorum trium locorum, qui in Ambrosiano tantum exhibentur, unum ab A dissentire apertum sit. Porro vero admodum paucis locis distingui potest inter Caprum et Priscianum; ubi enim testimonia aliorum quorundam grammaticorum accedunt, Capri copiae agnoscendae esse videntur; a quibus quas Priscianus discrepantes lectiones affert, videlicet a Capro non est mutuatus. Etiam eorum locorum,

quae ab A et Palatinis discedunt, non est improbabile saltem partem ad Caprum pertinere. De reliquis autem nihil dici potest. Hoc tamen elucet: ex illo satis magno numero locorum, quibus Priscianus ab Ambrosiana et Palatina recensione dissentit, sive ad illum ipsum sive ad Caprum redeunt, concludendum esse, has lectiones ex fabularum Plautinarum traditione haustas esse, quae quamquam partim cum utraque classe, saepe cum Ambrosiana, interdum cum Palatina conspirat, haud paucis locis peculiarem eiusmodi scripturam prae se fert, quae a palimpsesto propius remota fuerit.

Vita.

Natus sum Gualterus Schultze a. d. III. Kal. Mart. anni MDCCCLXXXIV in fundo Ludwigshof haud procul a Sedino sito patre Eduardo, matre e gente Homann Maria, quam praematura mors mihi admodum puero eripuit. Fidei addictus sum evangelicae. A patre litterarum elementis imbutus anno MDCCCXCII adii gymnasium Brandenburgiense, unde duobus annis post in vicum Pomeranorum Torgelow profectus publicum ludum frequentavi. Deinde vere MDCCCXCVIII Sedinum me contuli, ubi in collegio Iageteuffeliano alumnus receptus discipulus gymnasii oppidani fui. Denique sex annis peractis maturitatis testimonio, ut dicere solemus, instructus Ienam transmigravi, ut militari officio satisfacerem. Eodem tempore civis academicus factus sum. Usque ad hunc diem studiis philologicis et historicis operam do, quibus a puero valde delectabar. Neque iniqua fortuna fuit, cum his praeceptoribus praeclarissimis usus sim: Cartellieri, Delbrueck, Diehl, Eucken, Goetz, Graef, Hirzel, Iudeich, Leitzmann, Linke, Mentz, Reichard, Stoy, Weinel, qui scholis et exercitationibus me docuerunt. Quibus viris humanissimis gratum animum semper servabo, maximas autem gratias ago Georgio Goetz, qui semper studiis meis benignissime favit.